5/3

ARUNDINES STURI

SIVE

ECLOGAE EX MURETO, BUCHANANO, ALIISQUE RECENTIORIS AEVI POETIS.

COLLEGIT ATQUE EDIDIT

ROBERTUS B. KENNARD, M.A.

E Coll. Di. Joh. Bapt. Oxon.

Rector de Marnhull, Dorset.

Oxonii

J. PARKER ET SOCIOS

M DCCC LXXVIII

AD NAIDA.

Nympha, tuae viridi lectos in margine ripae
Hos tibi nunc tradunt calamos, en ! accipe, Musae :
Accipe quos legi sparsos in fluminis orâ,
Sollicitosque tuere sinu, tua dona, libellos.

Sic tibi gratus aquae rivus fluat ab Jove summo,
Inque sinum Thetidos placido illabare meatu !
Sic quodcunque mali est, et quidquid triste timemus,
Oceani rapidas tandem evanescat in undas !

IN MEMORIAM

ANNAE GRATIAE.

CONJUGIS DILECTISSIMAE,

MATRIS AMANTISSIMAE,

MULIERIS OPTIMAE,

OPUSCULUM HOC QUALECUNQUE

D. D. D.

ROBERTUS B. KENNARD.

OBIIT KAL. JAN. A.D. 1878,

ANNOS NATA 49.

Ivisti ad tumulum; sed te lugere vetamur:
Mortem si tenebrae, tristitiaeque tegant,
Claustra prior tumuli victor perrupit Jesus;
Divinus mundi moenia transit Amor.

LECTORI S.

Quae sequuntur carmina excerpta sunt ex scriptis poetarum qui post depulsam seculo decimo quinto barbariam altero illo, ut ita dicam, aureo Linguae Latinae seculo exorti sunt nobilissimi et clarissimi: quales furere verae poeseos laude insigniti apud Italos Flaminius, apud Hispanos Perpinianus, apud Gallos Muretus, apud Scotos Buchananus, apud Anglos Miltonus,—viri aetatis suae totiusque literarum reipublicae decora atque ornamenta maxima. Ex his, delectu habito, Mureti et Buchanani selegi carmina quaedam, quae mihi quidem valde placebant, dignaque vel in primis videbantur, quae, ut Musae Latinae exempla recentiora, juventuti studiosae non solum ad admirandum verum etiam ad imitandum proponerentur: quanquam haec studia nulli non aetati conveniunt: nam ceterae quidem artes neque temporum sunt, neque aetatum omnium, neque locorum; sed haec studia, ut Marci Tullî verbis utar, 'adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium ac solatium praebent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur.'

Addidi carmina pauca ex nostrorum scriptis delecta, quae, tanquam flosculos undique decerptos atque delibatos, Lectori talium deliciarum amatori commendo et trado.

Pauca quoque attuli ex meo penu deprompta, de quibus, qualiacunque sint, judicet Lector benevolus.

Denique in his libellis contexendis illud mihi maxime cavendum putavi, ne quid admitterem nisi quod ad veterum scriptorum normam exactum esset. Si quae forte mihi, sive incuriâ, seu quavis aliâ de causâ, minus in hanc normam convenire videbantur, ea emendare non dubitavi; cujus audaciae veniam a summorum virorum Manibus eo me facilius impretraturum spero, quod eandem libertatem corrigendi et emendandi, si quid incautius erravi, tibi, Lector erudite, libenter concedo; et ut id facias, corrigenda corrigendo, emendanda emendando, vehementer te etiam atque etiam rogo, oro, atque obsecro.

Quod superest, nobis nostrisque favere memento:
Atque ita nunc dico, Lector amice,—Vale.

INDEX CARMINUM.

PARS PRIMA.

Poemata Sacra.

Auctoris nomen Romanis; Interpretis Italicis literis indicatur.

HYMNI SACRI IN FESTIS ECCLESIAE PRAECIPUIS.

PARS SECUNDA.

MARCI ANTONII MURETI EPIGRAMMATA SELECTA.

PARS TERTIA.

Poemata Varia.

Pars Prima.

POEMATA SACRA.

CANTATE DOMINO.

Sancte Parens, hominum rerumque aeterna Potestas,
Omnia qui circumplexus, perque omnia fusus,
Intus alis, moderans praesenti numine mundum:
Cunctarum rerum quum sis et Principium et Fons,
Principium et Finis nostri Tu carminis esto.

R. B. K.

POEMATA SACRA. CANTATE DOMINO.

SUB EXORTUM SOLIS.

Roscida purpureos effert Aurora jugales,
  Et nitidum Soli praevia pandit iter:
Jam cantus volucrum rupere silentia noctis,
  Nullaque nunc coelo, rara vel, astra micant.
Exit flammivomo Phoebus spectabilis ore,
  Et tenebras densae noctis abire jubet:
Christe, Patris Splendor, vero me lumine lustra,
  Eque meo tenebras pectore pelle procul.

Muretus.

SUB OCCASUM SOLIS.

Vesper adest, noctem coelo tenebrasque reducens,
  Christe adsis animo! nox fugit atra procul:
Adsis O! fugient tenebrae, coelumque recludent:
  Tu mihi Lux tenebris, sole cadente Jubar.
Nox licet obscurâ terras caligine obumbret,
  Lumine collustrat mentem animumque Deus:
Christe, Patris Splendor, tali me lumine lustra,
  Obscurâ surget lucida nocte dies.
Quin ipsis mortis tenebris, dum Tu, Deus, adsis,
  Sol oritur melior splendidiorque novus:

Adsis, Christe, precor, Tu lucida Patris Imago,
  Lucisque et vitae Fons et Origo meae!
Tu mihi curarum Requies, Tu dulce laborum
  Lenimen, tenebris Tu mihi grata Quies:
Exoriare animo melioris Nuntius ortus,
  Exoriare animo Spesque Salusque meo!

CHORUS.

Ergo ubi nunc tua, Mors, victoria, quisve triumphus?
  Cedite vos tenebrae, tristitiaeque graves:
Fide Deo; Ille jubet cadere, Ille resurgere soles,
  Omniparensque suo lumine cuncta replet.

R. B. K.

'IMMORTALIA NE SPERES.'

Forma, Vigor, Doctrina, Decor, Sapientia, Virtus
  Certum uno calcant tramite mortis iter:
At, ne mortalis sperem immortalia, non me
  Annus deperiens, nec monet Hora fugax.
Quid, si Bruma solum deformet imagine leti,
  Vere virente novo non revirescit humus?
Mutat terra vices; at rerum cuncta per orbem
  Semina conservant intemerata genus.
Surge igitur mihi, Mens, terroremque exue Mortis;
  Surge, Anima, et vivum conscia nosce Deum.
Haec quocunque suae jaceant in pulvere terrae
  Membra sepulchrali deperitura situ;
Te ver immortale manet, Te, Filia Coeli,
  Vestiet aeternâ luce suprema dies.

Wellesley.

PSALMI.

PSAL. I.

Felix ille animi, quem non de tramite recto
Impia sacrilegae flexit contagio turbae:
Non iter erroris tenuit, sessorve cathedrae
Pestiferae facilem dedit irrisoribus aurem:
Sed vitae rimatur iter melioris, et altâ
Mente Dei leges noctesque diesque revolvit.
Ille, velut riguae quae margine consita ripae'st
Arbor, erit; quam non violento Sirius aestu
Exurit, non torret hiems: sed prodiga laeto
Proventu beat agricolam; nec flore caduco
Arridens, blandâ dominum spe lactat inanem.

Non ita divini gens nescia foederis, exlex,
Contemptrixque poli: subito sed turbine rapti
Pulveris instar erunt, volucri quem concita gyro
Aura levis torquet vacuo ludibria coelo.

Ergo, ubi veridicus Judex in nube serenâ
Dicere jus veniet, scelerisque coarguet orbem,
Non coram Impietas moestos attollere vultus,
Nec misera audebit justae se adjungere turbae.
Nam Pater aetherius justorum et fraude carentum
Novit iter, sensumque tenet; curvosque sequuta
Impietas fraudum anfractus scelerata peribit.

Buchananus.

PSAL. VIII.

Gentis humanae pater atque custos,
  Quam sancta majestas tui
Nominis terras stupefecit omnes,
  Sol quas recurrens adspicit!
Et super coeli radiantis orbes
  Tua magnitudo se extulit.
Quam piâ mundum tueare curâ,
  Lactentis aevi infantia
Prodit; ut linguas temere obstrepentum
  Tibi refutes hostium:
Hostium quorum vomit os furorem
  In te, sititque sanguinem.
Luce quum coelos vitreâ serenos,
  Pollentis opera dexterae,
Cerno; quum lunam nitidasque stellas
  Per te creatas conspicor:
Quantulus, mecum tacitus revolvo,
  Homo est, ut ejus sis memor!
Quantula humanae est subolis propago,
  Dignere ut illam visere!
Hunc Deo aequalem prope reddidisti;
  Ornasti honore et gloriâ;
Et tuae dextrae super universa
  Opera creasti principem:
Cuncta, vitalis quibus haustus aurae'st,
  Illi dedisti sub pedes.
Huic boves parent et oves pecusque,
  Quodcunque campis pascitur;

Quique pennarum celeri volatu
  Metitur ales aëra;
Quique pinnarum celeri natatu
  Piscis pererrat aequora.
Gentis humanae pater atque custos,
  Quam sancta majestas tui
Nominis terras stupefecit omnes,
  Sol quas recurrens adspicit!

Buchananus.

PSAL. XV.

Quisnam, O Rex aeterne, tuam admittetur in aulam,
  Cui dabitur montis culmen adire tui:
Perpetuâ ut Tecum compôstus pace fruatur,
  Carpens nota unis gaudia coelitibus?
Qui nullâ ingreditur maculâ suffusus, amatque
  Ex animo rectum, justitiamque colit:
Cui neque cor fraudes agitat, neque subdola lingua'st:
  A quo se laesum dicere nemo potest.
Quem fugiunt injusti, et quo praesente liquescunt:
  Quo viso, justis mens animusque redit.
Quem mutare fidem nunquam jactura coegit:
  Foenere qui partas odit et horret opes.
Nullo unquam judex potuit qui munere vinci,
  Ut duro insontes laederet ore reos.
Qui facit haec, is demum in coeli templa receptus,
  Tecum una dempto fine beatus erit.

Muretus.

PSAL. XIX.

Immensi chorus aetheris
Orbes stelliferi, lucida sidera,
Laudes concelebrant Dei,
Auctorisque canunt artificem manum.
Dulces excipiunt modos
Noctem rite dies, noxque diem premens;
Alternoque volubiles
Concentu variant perpetuum melos.
Et quanquam levibus rotis
Labuntur taciti per liquidum aethera;
Terrarum tamen ultimos
Tractus, alta poli moenia, personat
Aeterni sacra vox chori,
Concordi memorans eloquio Deum.
Coelorum in penetralibus
Soli qui posuit celsa palatia:
Laetos unde ferens gradus
Prodit, ceu thalamo Sponsus ab aureo;
Fidens viribus ut Gigas,
Praescriptum stadii carpit ovans iter.
Coeli limite ab ultimo
Egressus, rediens limitem ad ultimum,
Emensam relegit viam,
Foecundisque fovet cuncta caloribus.
Non Lex Sancta Dei minus
Languentes animas vi reficit sacrâ:
Puro lumine Lex Dei
Illustrans oculos, et tenebras fugans,

Informans animos rudes,
Coelestique replens corda scientiâ;
Mentes laetificans pias;
Confirmans stabili pectora gaudio.
Illam Justitia et Fides
Fixit perpetuam, aeternaque Veritas.
Non illam aequiparat pretio
Aurum, jam rutilis purius e focis;
Non dulcedine, quae recens
Stillant pressa favis mella liquentibus.
Fida adstat monitrix suis,
Et merces eadem magna, clientibus.
Quis lapsus tamen ah! suos,
Quis secreta sinu crimina perspicit?
Adsis, O Deus! O Pater!
Da caecis veniam, da miseris opem!
Errantes cohibe gradus,
Effraenamque animi frange superbiam!
Solum munere sic Tuo
Mox insons sceleris, purus ero mali:
Sic O! sic placeant Tibi
Quae supplex meditor, quae loquor, O Deus!

Lowth.

PSAL. XXIII.

Ecce Deus Pastor meus est, numquid mihi deerit?
Ille facit viridi recubem nunc stratus in herbâ,
Nunc ad aquas ducit placidas, renovatque vigorem.
Providus Ipse viam virtutis monstrat apertam.

Nil igitur metuam, licet usque nigrantibus umbris
Per vallem ingrediar Mortis, dum Tu, Deus, adsis ;
Dumque pedo virgâque tuâ sic auxilieris.
Tu mensam dapibus cumulas, spectante inimico,
Perfundisque oleo caput, et cratera coronas.
Dum vivam, tua me bonitas non deseret unquam,
Inque domo Domini maneo, semperque manebo.

R. B. K.

IDEM PAULO FUSIUS.

Quid frustra rabidi me petitis, canes?
Livor, propositum cur premis improbum?
Sicut pastor ovem, me Dominus regit ;
Nil deerit penitus mihi.

Per campi viridis mitia pabula,
Quae veris teneri pingit amoenitas,
Nunc pascor placide, nunc saturum latus
Fessus molliter explico.

Purae rivus aquae leniter adstrepens
Membris restituit robora languidis,
Et blando recreat fomite spiritus
Solis sub face torridâ.

Saltus quum peteret mens vaga devios,
Errorum teneras illecebras sequens,
Retraxit miserans denuo me bonus
Pastor justitiae in viam.

Nec si per trepidas luctificâ manu
Intentet tenebras Mors mihi vulnera,
Formidem duce te pergere; me pedo
Securum facies tuo.

Tu mensas epulis accumulas, merum
Tu plenis pateris sufficis, et caput
Unguento exhilaras: conficit aemulos,
Dum spectant, dolor anxius.

Me nunquam bonitas destituet tua,
Profususque bonis perpetuo favor;
Et non sollicitae longa domi tuae
Vitae tempora transigam.

Buchananus.

PSAL. XXVII.

Clara meae Ipse Deus praepandit lumina menti,
Ipse mihi Deus est certa suborta salus.
Quem metuam? vitam ecce! meam Deus ipse tuetur.
Cur paveam, varios concipiamque metus?
Quum fera me vallo cinctum propiore teneret,
Et fureret carnes turba vorare meas:
Ipsemet impegit, qui me prope ceperat hostis,
Ipse cadens vasto corpore pressit humum.
Ergo inimica necem mihi jam si castra minentur,
Nullus erit, pulset qui mea corda, pavor.
Praelia si ingruerint, expers terroris abibo,
Spe fidens unâ praesidioque Dei.
Unum concedi petii mihi munus ab ipso,
Idque unum summis usque petam precibus,

Exigere ut tanti speciosâ Regis in aulâ
Fas mihi sit vitae tempora tota meae :
Ut collustrem oculis nulli loca nota profano,
Et Domini aspectu, deliciisque fruar.
Cetera desunt.

Muretus.

PSAL. XXIX.

Demonstratur Supremum Dei Dominium, et immensa Potentia, ex horribili fragore et admirandâ vi Tonitrus, quem Hebraei Dei vocem appellant; ejus effectus describuntur. Hanc oden, quum ne solutâ quidem oratione ita reddi possit, ut per omnia servetur brevitas, totidem versibus Anapaesticis utcunque exprimere conatus sum.

Regum Domino cedite, Reges,
Cedite summi decus imperii.
Date, quos meruit Nomen, honores;
Adytis Deum adorate sacratis.
Sonat horrendum magna Dei vox!
Aethere ab alto Deus intonuit;
Aequore vasto superintonuit
Valida, augusta, decora Dei vox!
Ruit ingenti turbine cedros,
Ruit umbrosi cedros Libani.
Quatitur Libanus, subsilit Hermon;
Ut vaga lato bucula campo,
Levis in montibus ut saltat oryx.
Ruptis rutilant nubibus ignes;
Deserta tremunt; tremit alta Cades:
Sylva gemit: querceta laborant;

Densis nudantur nemora umbris;
Subitoque jacent perculsa metu
Hominum corda, agnoscuntque Deum.
Deus undantem regit Oceanum;
Rex aeterno sedit in solio:
Populumque Deus sibi dilectum
Viribus, opibus, pace beabit.

Lowth.

PSAL. XLII.

Cervus ut, in medio celsis de montibus aestu
Actus, in algentes fertur anhelus aquas;
Sic mea vitali satiari Numinis undâ
Mens avet, et Domini languet amore sui:
Gestit et optat amans, vitae se adjungere fonti:
His mihi deliciis quae dabit hora frui?
Dum sine fine petunt—ubi sit Deus iste timendus?—
Sunt misero lachrymae nocte dieque dapes.
Scandere me quoties memini penetralia sacra,
Et longo populos ordine pone sequi;
Aurea dum recolo missas ad sidera voces,
Et plausum festis quem decet esse choris;
In lachrymas totus miser et suspiria solvor,
Inter et aerumnas est mihi dulce queri.
Cur ita turbaris? cur te, Mens, dejicis exspes?
Cur ita me torques anxia? fide Deo:
Scilicet hic placido recreat mihi lumine pectus;
Et mihi materies unica laudis erit.
Dum queror, in mentem, liquidis Jordanis ab undis,
Sepositisque jugis, Tu mihi saepe redis.

Gurgitis est gurges, rauci comes aequoris aequor:
Fluctibus infelix obruor usque novis.
Luce, sed in mediâ bonitas tua fulsit abysso:
Nocte, Parens vitae, tu mihi carmen eris.
Tunc ego, cur, dicam, capiunt Te oblivia nostri?
Rerum Opifex, animae portus et aura meae!
Cur prope confectum curis, lachrymisque sepultum,
Me sinis immani durus ab hoste premi?
Hic petit insultans, ubi sis?—ego vulneror inde,
Ensis et in morem permeat ossa dolor.
Cur ita turbaris? Cur te, Mens, dejicis exspes?
Cur ita me torques anxia? fide Deo.
Scilicet Hic placido recreat mihi lumine pectus,
Et mihi materies unica laudis erit.

Arthurus Johnston.

PSAL. XLV.

Cor micat, exultant trepidis praecordia fibris,
Eructantque novum gravido de pectore carmen:
Certat lingua animum fando, manus aemula linguam
Scribendo exaequare, meo nova carmina Regi
Dum meditor; cui nemo hominum unquam e semine cretus
Audeat eximiae contendere munere formae:
Quem decorat lepor, et roseis affusa labellis
Gratia; cui rerum coeli indulgentia spondet
Hunc fore perpetuum longaeva in secla tenorem.

Ergo, armis invicte heros, age, fortibus apta
Ensem humeris: ensem, per quem te gloria coelo

Aequat; et adversum fidens fer pectus in hostem.
Frena tibi currus Verum moderetur et Aequum,
Et quae praecipitem Clementia temperat iram.
His ducibus tibi surget honos, tua dextera factis
Clara per ignotas fundet miracula terras:
Cordaque vulnificis figens inimica sagittis,
Sponte tibi coges validas procumbere gentes.

Nec maris aut terrae spatium, nec terminus aevi
Finiet imperium, sceptri moderamine justi
Quod regis, et leges mollis clementer acerbas.
Te super aequaevos omnes Regnator Olympi
Diligit, et laeto vultum exhilaravit olivo.
Unde tui mulcent populi nova gaudia mentes,
Pallia quum loculis tibi depromuntur eburnis,
Et myrrhae passim lacrimae, stactaeque süavis
Halitus, et molles casiae funduntur odores.
Ancillae apparent genus alto e sanguine regum
Inter honoratas promptae ad tua jussa ministras.

At Regina tori consors tibi dextera adhaeret,
Auro picta sinus, auro radiata capillos,
Misit ab Eois Ophyre quod flava caminis.
Tuque adeo, Regina, audi, et rem pectore conde;
Nec mea dicta nega placidas demittere in aures:
Jam nunc et patriam et patrem obliviscere, jam nunc
Ex animo caros penitus depone propinquos:
Unum oculis specta, unum animo complectere regem;
Regem oculis animoque, tuo qui pendet ab ore,
Unius et pulchris defixus vultibus haeret.
Hunc dominum agnosce, et supplex venerare, nec ille

Officio studioque tibi concedet: et illa
Undarum regina Tyrus te murice et auro
Accumulans colet: et vicina per oppida late
Procumbent tibi suppliciter gazisque potentes,
Aut opibus clari: meritumque feretis honorem
Hunc populi. Pharii proles generosa tyranni
Tota decens, tota est gemmisque insignis et auro;
Et facies cultum illustrat, facieque decorâ
Pulchrior est animus. Tibi, Rex, en! ducitur uxor,
Dives opum, dives pictaï vestis et auri,
Virginibus comitata suis, de stirpe propinquâ;
Virginibus, quas pompa frequens clamore secundo
Insequitur, plausuque fremens laetaeque choreae
Cantibus augustam laetas deducet ad aulam.
Neu desiderio nimium tangare tuorum,
Virgo, tibi dulcem patrisque et matris amorem
Leniet adnascens subolis generosa propago:
Quos regere imperio terras, totumque per orbem
Adspicies populos sceptris frenare superbos.
Nec tu carminibus, Rex magne, tacebere nostris:
Quâque patet tellus liquido circumsona ponto
Posteritas te sera canet: dumque aurea volvet
Astra polus, memori semper celebrabere Famâ.

Buchananus.

PSAL. XLVII.

O populi, lato quoscunque alit ubere tellus,
Ingeminate alacres plausum, luctuque fugato,
Laeta triumphali resonent, facite, omnia cantu.

Ille etenim regum ter maximus, ille tremendus,
Quem sola terrarum, coeli quem templa verentur,
Subjecit nobis populos, fastuque represso,
Ferre jugum, admotâ pedibus cervice, coegit.
Ipsemet elegit clemens patrimonia, nobis
Quae daret, aeterno Isacidae succensus amore.
Euge Pater, Pater euge, tuum haec sunt omnia munus.
Ascendente Deo, litui sonuere, tubaeque.
Prodidit ipse novis sua gaudia vocibus aether.
Psallite nunc pia corda Deo, nunc psallite Regi,
Psallite, qui terras omnes ditione coercet:
Et mulcete pias doctis concentibus aures.
Imperium sine fine Deus toto obtinet orbe,
Et sancto innixus solio regit omnia solus:
Ductores populorum illius signa sequuntur.
Namque Abrahami alios longe Deus anteit omnes;
Scuta sua extulit ipse alte super ardua terrae.

Muretus.

PSAL. LXV.

Te manent laudes, Deus, in Sione:
Hic tibi castis operata sacris
Vota gens solvet tua, victimisque
Imbuet aras.

Quique tam praesens Tibi supplicantûm
Exitus votis tribuas secundos,
Te petent gentes sub utroque mundi
Axe jacentes.

Nostra nunc justis scelerata facta
Nos premunt poenis : facilis querellis
Tu tamen flecti, mala servitutis
Vincula franges.

O quater, plusquam quater O beatos,
Quos leges, lectos facies amicos :
Ut colant puri Tibi dedicati
Atria templi.

Illa lux felix, cumulata cunctis
Lux bonis, pectus satiabit aegrum
Gaudio, quae nos reduces sacratâ
Sistet in aede.

Annues nostris facilis querellis,
Finium terrae Deus ultimorum
Spes, et extremas maris ambientis
Gurgite terras.

Tum stupor mentes quatiet tuentûm,
O Deus nostrae columen salutis,
Te malis durum, miseris benignum,
Omnibus aequum.

Tu potens rerum, validisque pollens
Viribus, firmas stabili catenâ
Montium tractus, jugaque inquietis
Tunsa procellis.

Tu maris nigris agitata ventis
Terga componis : cohibes rebelles
Gentium motus, placidâque mutas
Pace tumultus.

Ultimi rerum tua signa norunt
Et pavent fines, quoties coruscis
Turgidum flammis fremuit sonoro
Murmure coelum.

Quique Phoebaeos habitant ad ortus,
Et quibus serâ face Phoebus undas
Tingit, auctorem Te hilares fatentur
Lucis et umbrae.

Tu solum terrae sitientis imbrem
Laetus invisis, gravidaeque nubis
De sinu fundis genitale pigros
Semen in agros.

Alveus pleno Tibi semper amne
Turgidus laetâ novat arva fruge,
Floribus campos, nemorum virentes
Fronde recessus.

Rore tu leni sola contumacis
Maceras terrae, subigisque glebas:
Ebrios sulcos viridante amictu
Messis inumbras.

Qua feres gressus, renovabis annum
Fertilem frugum: recreansque foetus
Per cavas valles riguosque saltus
Impluet humor.

Gestiet pauper tuguri colonus,
Lacte distentas comitans capellas:
Mugient colles, et amica fessis
Silva juvencis.

Spes aratoris cupidas fovebit
Fluctuans latis seges alma campis:
Ut canat festâ Tibi feriatus
Carmen in umbrâ.

Buchananus.

PSAL. LXXXVIII.

Luce voco te, nocte voco te, sola salutis
Spes, columen, vitae praesidiumque meae.
Alme parens, facilem ne vultum averte precanti,
Neve humiles durâ respue mente preces.
Mens hebetata malis torpet, confecta dolore
Funereas spectat languida vita faces.
Membra vigor liquit, mors unguibus imminet atris:
De tumulo tantum jam mihi cura meo est.
Corpora non aliter pallent sub mole sepulchri,
Vulnere quae subito mors inopina tulit:
Perpetuis quae sub tenebris oblivia condunt
Alta, salutiferam te retrahente manum.
Carcere ceu clausum, et caecâ sub nocte sepultum,
Me prope lethaeae gurgite mergis aquae.
Usque premis, stratumque urges, supraque jacentem
Accumulas irae flumina cuncta tuae.
Me veluti scopulum fugiunt horrentque sodales,
Quos portum afflictae spes erat esse rati.
Affixusque toro jaceo, ceu compede vinctus:
Languida cesserunt lumina victa malis.
Interea lassas tendens ad sidera palmas,
Te veniente die, te fugiente voco.

Scilicet expectas ut acerbâ morte peremptum
  In vitam revoces, eripiasque neci?
An rediviva tuas in laudes ora resolvent,
  Quos gelido tellus claudit avara sinu?
An tua sub tumuli bonitas cantabitur antro?
  Vulgabuntve tuam muta sepulchra fidem?
Justitiamne tuam taciturna silentia pandent?
  An referent vires nox tenebraeque tuas?
Ast ego, sancte parens, supplex tua numina clamo:
  Nec precibus vacua est hora locusve meis.
Sancte parens, animae auxilium cur subtrahis aegrae?
  Cur surdâ miseras respuis aure preces?
Me dolor et primis labor anxius urit ab annis;
  Me trepidi exanimant corde micante metus.
Me furor exagitat tuus, opprimit undique terror;
  Agmen ut hibernae, quod sata mergit, aquae.
Aeger, inops, caris jaceo desertus amicis;
  Nec noti aerumnis ingemuere meis.

Idem.

PSAL. XC.

Coelitum Rector bone, ab usque primis
Seculis, mundi rudis et juventâ,
Qui laborantes ope sublevâsti
    Semper amicos.

Antequam tellus nova parturiret
Montium saltus, tegeretque montes
Lucidus coeli decor, ante metas
    Lucis et umbrae:

Tu manes idem, Pater orbis, unus
Nec vices rerum patiens, nec aevi
Termino clausus brevis; unus expers
Finis et ortus.

At brevis nobis miseraeque vitae
Fila paullatim tenuas, senecta
Donec in putrem cinerem caducos
Solverit artus:

Tempus annorum Tibi mille, lucis
Instar hesternae, fluidique puncti,
Nulla decursus quod, ubi recessit,
Signa relinquit.

Nostra vanescit tenues in auras
Vita, per siccas velut unda arenas,
Aut velut sensus per opaca ludens
Noctis imago.

Herba ceu verno saturata rore
Mane, mox languet medio sub aestu,
Mox humi comis[1] jacet arefactis
Vespere sero.

Praeter et vitae mala tot fugacis,
Quae voluptates vitiant amaro,
Ira turbatis tua semper instans
Pectora vexat.

[1] Nota trochaeum in secundâ sede ut apud Catullum, c. xi. 14. *Pauca nuntiate meae puellae*, et haud scio an apud Horatium C. S. 70 *Quindecim Diana preces virorum.*

Quidquid erramus temere aut maligne,
Quae timor celat tenebris pudorve,
Tu vides, nec Te latet inquieti
Pectoris aestus.

Dum tui poenas meritas furoris
Mens reformidat, prope cogitatu
Ocius vitae spatium citatis
Aufugit alis.

Septies denos spatiosa in annos
Vita procurrit; quibus est senecta
Firmior, ferme in decimum supersunt
Amplius annum.

Quid senectutis memorem labores?
Transvolat blandae breve ver juventae,
Inquies curis miserisque morbis,
Ocius Euro.

Deinde quis justae tolerabit irae
Impetum, si jam jubeas nocentes
Pro modo offensae numeroque justas
Pendere poenas?

Sic Pater, sic O, numerare fluxae
Nos doce vitae spatium, caducis
Mens ut a curis revocata, veri
Lumen honesti

Cernat. O tandem placidus favensque
Desine irarum, propiusque servis
Semper assuetâ Tibi lenitate
Consule fessis.

Fac tuae fructu bonitatis aucti
Gaudio tandem satiemur; aegris
Liberi ut curis reliquos agamus
Suaviter annos:

Cedat et laetis fugiens vicissim
Luctus; exacto modus et labori
Par voluptatis subiens amarum
Mitiget aevum.

Facta, majestas, opera, amplitudo
Nota sint servis tua, posterisque
Nota servorum, tua qui libenter
Jussa capessunt.

Fac tuae semper bonitatis ut nos
Splendor illustret, bone Rector orbis:
Gratiae adspirans favor actiones
Prosperet omnes.

Idem.

PSAL. CXIV.

Quum Domus Isacidum patrias remearet ad oras,
Barbaraque invisae linqueret arva Phari:
Ipse Deus Judam coelesti numine tutum
Fecit: erat populi signifer Ipse sui.
Vidit, et attonitas trepidum mare diffidit undas:
Jordanis refugas in caput egit aquas.
Dura per intonsos saluerunt culmina montes,
Ut saturas gestit dux gregis inter oves:

Celsaque frondentes movere cacumina colles,
  Agnus ut in pratis luxuriare solet.
Quid mare vidisti? solito cur cesseris alveo?
  Cur fugis in fontes fluminis unda tuos?
Cur ita concusso saluistis vertice montes,
  Ut satur exultat dux gregis inter oves?
Cur ita frondenti saluistis vertice colles,
  Agnus ut in pratis luxuriare solet?
Nempe Dei trepidum praesentia terruit orbem,
  Cui cadit in Solymos victima multa focos,
Qui lapidum venas laticum laxavit in usum,
  Cui fluxit largo flumine dura silex.

Idem.

PSAL. CXVI.

Summus amor Domini medio mî in pectore fervet,
  Namque meas clemens audiit ille preces,
Excepitque meas facili bonus aure querellas.
  Illum igitur, fuerit dum mihi vita, colam.
Letiferi haerebam vinctus quasi fune doloris:
  Nec procul a durae limine mortis eram.
Summe Deus, dixi, solo Te vindice fretum
  Eripiat tantis me tua Dextra malis.
Ut bonus est! Ut opem cito rite vocantibus adfert!
  Justus ut, et nitidae simplicitatis amans!
Attritus prope eram, quum me consurgere jussit,
  Depulit et capiti cuncta pericla meo.
Quid trepidas, anima? Ad solitam te verte quietem,
  Plurima supremi munera Regis habes.

Ille a morte animam hanc, a tristi lumina fletu,
  A lapsu infirmos eripuitque pedes.
Vivam igitur posthac illo duce et auspice tutus:
  Et mea semper erit cura placere Deo.

Muretus.

PSAL. CXXV.

Sionis arcem non aquilo impotens
Saxo sedentem perpetuo quatit,
  Nigrantibus non auster alis
    Imbriferas glomerans procellas.

Quicunque vere spem locat in Deo,
Non hostis hunc vis, non quatiet dolus:
  Si fractus illabatur orbis,
    Incolumis fugiet ruinam.

Ut civitatem moenia montium
Sanctam tuentur, sic Dominus suos
  Vi cingit arcanâ, nec unquam
    Praesìdii viduos relinquet.

Nec impiorum perpetuo jugo
Sinet piorum progeniem premi,
  Ne turpibus contaminetur
    Flagitiis labefacta mentem.

Ut affluenter fac bona sint bonis,
Ut continenter fac male sit malis,
  De calle quos recti illecebris
    Impietas male sana flexit.

Fac, sancte rerum Conditor, ut domum
Beata semper pax colat Isaci:
  Tranquillitas secura pulchrae
    Exhilaret Solymae colonos.

Buchananus.

PSAL. CXXVIII.

Felix O ter et amplius,
Quem timor Domini tenet,
Quem non illius a viâ
    Flectit devius error.

Felix, et tibi prospere
Cedent omnia: nam tuo
Carpes dulcia fercula
    Comparata labore.

Instar palmitis uberi
Proventu gravidi et comâ
Cingentis viridi domum
    Te conjux hilarabit.

Ceu plantaria fertili
Pubescunt oleae solo,
Jucundo tibi liberi
    Cingent agmine mensam.

Quem timor Domini tenet,
Inter talia commoda
Vitae tempora transiget.
    At te ex arce Sionis

Ditabit Domini manus
Larga: et conspicies bonis
Florentem Solymam, tibi
Donec vita manebit.

Prolis adspicies tuae
Longâ stirpe propaginem:
Festâ semper et Isaci
Laetos pace nepotes.

Idem.

PSAL. CXXXIII.

O dulce jucundumque! Tribulium
Coetu in frequenti mutua caritas!
O corda qui fraterna nodo
Jungit amor metuente solvi!

Non aura nardi suavior occupat
Sensus, quae Aronis vertice de sacro
Per ora, per barbam, per ipsas
Lenta fluens, it odora vestes:

Non rore largo laetior irrigat
Hermona florentem aetherius liquor;
Sanctaeque faecundat Sionis
Uberibus juga celsa guttis,

Praesens benigno numine quas fovet
Jehova sedes; alma ubi Faustitas
Testatur, aeternumque magni
Dia Salus Domini favorem.

Lowth.

PSAL. CXXXVII.

Dum procul a patriâ moesti Babylonis in oris,
  Fluminis ad liquidas forte sedemus aquas;
Illa animum subiit species miseranda Sionis,
  Et nunquam patrii tecta videnda soli.
Flevimus, et gemitus luctantia verba repressit;
  Inque sinus liquidae decidit imber aquae.
Muta super virides pendebant naulia ramos,
  Et salices tacitas sustinuere lyras.
Ecce ferox dominus, Solymae populator opimae,
  Exigit in mediis carmina laeta malis:
Qui patriam exsilio nobis mutavit acerbo,
  Nos jubet ad patrios verba referre modos,
Quale canebamus, steterat dum celsa Sionis
  Regia, finitimis invidiosa locis.
Siccine divinos Babylon irrideat hymnos?
  Audiat et sanctos terra profana modos?
O Solymae, O adyta, et sacri penetralia templi;
  Ullane vos animo deleat hora meo?
Comprecor, ante meae capiant me oblivia dextrae,
  Nec memor argutae sit mea dextra lyrae:
Os mihi destituat vox, arescente palato,
  Haereat ad fauces aspera lingua meas:
Prima mihi vestrae nisi sint praeconia laudis;
  Hinc nisi laetitiae surgat origo meae.
At Tu (quae nostrae insultavit laeta rapinae)
  Gentis Idumaeae Tu memor esto, Pater.
'Diripite ex imis evertite fundamentis;
  Aequaque,' clamabant, 'reddite tecta solo.'

Tu quoque crudeles Babylon dabis impia poenas,
Et rerum instabiles experiere vices.
Felix, qui nostris accedet cladibus ultor,
Reddet ad exemplum qui tibi damna tuum.

Buchananus.

PSAL. CXXXVIII.

Pectore Te grato Dominumque Deumque fatebor
Coram superbis regibus,
Et tua facta canam.
Ad tua templa oculis, animo ad tua numina spectans,
Nomen celebrabo tuum
Perpetuamque fidem:
Qui donis promissa novis cumulata rependis,
Audis vocantem, robora
Das animo trepido.
Te, quacunque patet tellus circumflua ponto,
Reges fatebuntur Deum,
Quum sine fine fidem
Audierint: ritusque tuos super aethera cantu
Ferent, tuaeque gloriae
Ad jubar attoniti.
Nam liquidi quanquam trans ignea moenia mundi
Beatus in Te permanes:
Attamen haud humiles
Despicis; elatosque premis: discrimina mille
Passim mihi circumstrepant,
Te duce tutus ero.

Tu validâ obsistes dextrâ furialibus ausis,
Qui me lacessunt, hostium:
Incolumique dabis
Quod superest, si quid superest: bonitate perenni
Quo coeperas gradu, tuae
Facta tuere manus.

Idem.

PSAL. CXXXIX.

Tu mihi semper ades; Tu me omni ex parte patentem
Intueris, Deus! et manifesto in lumine cernis.
Tu me, quicquid ago, quoquo vestigia flecto,
Usque premis; seu luce labor, seu alterna silenti
Nocte quies redeat: Tu pectus et abdita mentis
Perspicis, introrsum insinuans; caecoque recessu
Exagitas latitantem, arctâque indagine cingis.
Tu dubiis vixdum eluctantia dicta labellis
Antevenis, primosque animi praeverteris orsus.
Quippe manu prensumque tenes; nudumque, reclusumque,
Ante, retro, explorans, mihi me praesentior ipso.

O Deus! infinitum atque inscrutabile Numen!
Cuncta sciens Mens, ipsa incognita! Quâ fugiam Te,
Obtutusque tuos et conscia lumina fallam?
Ascendam coelos? ibi Tu: subeam ima barathri
Tartara? ades; simul haec magno loca numine comples.
Auroraene procul rutilas ferar ales in oras?
Occiduine petam fines novus incola ponti?

Hic etiam tua me ducet manus; hic tua cursum
Dextera praeveniet cohibens, reprimetque fugacem.
Ergo petam tenebras, et condar nocte sub atrâ:
Demens, qui tenues umbras, et inania vela,
Sancte! tuis obvertam oculis, densissima cui nox
Pellucet, tenebraeque ipsae sunt luminis instar.

Te Dominum Auctoremque colo; Tu hos Conditor artus
Formasti, et gravidâ texisti matris in alvo.
Obstupeo, et memet laetâ formidine lustro,
Divini monumentum operis! Tu corporis omnem
Compagem, mersam tenebris et carcere caeco,
Perspêxti; tua solerti per singula ductu
Dextera iit, tua pinxit acus mirabile textum.
Ipse rudi invigilans massae, primisque elementis
Conscius instabas: jussas orientia formas
Membra minutatim induerunt, quocunque vocares
Prompta sequi: sua cuique tuis inscripta tabellis
Effigies erat, atque operis data norma futuri.

Ut mî animum sancto permista horrore voluptas
Percipit! ut vano juvat indulgere labori,
Dum tua facta, Deus, recolo: tua mente revolvo
Consilia, et numero artificis miracula dextrae!
Promptius expediam, quot volvant aequora fluctus;
Littore vexato quam multae agitentur arenae.
Usque eadem incassum meditanti lumina somnus
Opprimit; usque eadem vigilanti cura recursat.

Non Tu sacrilegos perdes, Deus? Ite, profani!
Ite procul, scelerum auctores, caedisque ministri!

Non ego, Sancte, tuos hostes hostilibus iris
Insequar? en! bellum Tibi bella parantibus ultro
Indico; neque do dextram, neque foedera jungo.
Tu nunc esto mihi testis; Tu pectoris ima
Cerne, Deus! penitusque altos scrutare recessus;
Excute, si qua mihi caecis concreta medullis
Haeret adhuc labes, et noxia corda refinge,
Tum sceleris purum accipias, mittasque salutis
Aeternum per iter, rectoque in tramite ducas.

Lowth.

PSAL. CXLV.

Te Regem Dominumque canam, dum lucida volvet
Lucidus astra polus,
Et unicum colam Deum.
Luce canam Te, nocte canam Te: nulla carebit
Laudibus hora tuis,
Rerum Creator et Salus.
Magne Parens, nullo cui clausa potentia fine est,
Secula cuncta tuas
Laudes sonabunt: et patres
Longaevi tua facta canent, seraeque nepotum
Per seriem soboli
Prodent: nec aetas gloriam
Nesciet ulla tuam: mirandaque facta decusque
Ille memor referet,
Hic magnitudinem canet:
Ille bonum feret et justum, et placabilis irae,
Et veniae facilem, et
Largâ benignum dexterâ:

Totque inter decora et laudum praeconia, nullo
Emoritura die,
Nil clarius clementiâ.
Ergo, Parens rerum, stellantis machina coeli
Cuncta suo gremio
Complexa praedicat tuum
Robur : et intacti scelerum contage nefandâ
Te celebrant alacres,
Tuique vires imperî
Per populos late vulgant : ne nescia sceptri
Terra sit ulla tui,
Et gloriae et potentiae.
Imperium sine fine Tibi; nec legibus aevi
Subdita sceptra tenes,
Aut clausa metis temporum.
Tu lapsos rursum attollis, firmasque labantes :
Incolumesque foves
Vitae beatae commodis.
Te volucrum pecudumque genus, te saeva ferarum
Secula respiciunt
Unum, suoque tempore
Accipiunt victum : Tu dextram pandis, et omne
De locuplete penu
Animal benigne recreas.
Quicquid agis, justeque et sancte agis : impiger aurem
Supplicibus facilem
Praebes : opisque compotes
Dimittis puro qui pectore cumque precantur :
Auxilioque piis
Praesens es, et periculis

Eruis e cunctis qui te venerantur amantque:
Cumque suo scelere
A stirpe vellis impios.
Ergo omnes te jure canent, nomenque tacebit
Natio nulla tuum
In seculorum secula.

Buchananus.

DAVIDIS IN SAULUM ET JONATHANUM THRENUS.

ii Sam. i. 19–27.

Ergone magnanimi heroes, decus Israelis,
  Proh dolor! in patriis occubuere jugis?
Fama Philistaeas ah! ne pertingat ad urbes,
  Neu Gatham tantae nuntia cladis eat;
Hostis ut invisos agitet sine more triumphos,
  Judaicisque nurus barbara laeta malis.
Triste solum, Gilboa! tuis ne in montibus unquam
  Vel ros, vel pluviae decidat imber aquae!
Nulla ferat primos aris tua messis honores;
  De grege lecta tuo victima nulla cadat!
Qua scuta heroum, qua Sauli parma relicta est,
  Nequicquam heu! sacrum cui caput unxit onyx.
Non sine caede virûm Sauli prius hasta redibat;
  Non Jonathani expers sanguinis arcus erat:
Nobile par, quos junxit amor, quos gloria junxit;
  Unaque nunc fato jungit acerba dies.
Ut celeres vicere aquilas, validosque leones,
  Viribus et cursu bella ciere pares!
At vos, Isacades, Saulum lugete, Puellae,
  Qui dites vobis rettulit exuvias;

Qui collo gemmas, qui textile vestibus aurum,
  Coccina qui Tyriâ tincta bis arte dedit.
Heu quianam heroum bello perit irrita virtus!
  Montibus in patriis, ah Jonathane jaces!
Tu mihi, tu aeterno flendus, Jonathane, dolore,
  Occidis! heu misero frater adempte mihi!
Heu pietas! heu rara fides, et dulcia fesso
  Alloquia! heu sanctae foedus amicitiae!
Quae mihi in adversis tulerat nova gaudia rebus;
  Gaudia, foemineus quae dare nescit amor.
Proh dolor! heu quianam duro in certamine belli
  Fracta virûm virtus, irritaque arma jacent!

Lowth.

TE DEUM.

Tu, venerande Deus, nostro celebrabere cantu,
Quem penes est unum vasti custodia mundi;
Te, Patrem aeternum, coelum mare nubila tellus
Concelebrant: Te coelicolae, Te siderei axes;
Te aetherei proceres superique chori ingeminando
Ter sanctum Regem Dominumque et Bellipotentem
Assiduo resonare docent vastum aethera cantu.
Ecce per immensum claret tua Gloria mundum!
Te laudant comites Filî, testesque laborum;
Quique pii vates et numine digna loquuti;
Quique umbrata gerunt victrici tempora lauru,
Vitam ausi verâ pro relligione pacisci.
Christiadum agnoscit magnum gens sancta per orbem,
Communem Patrem, nunquam violabile numen;
Et Natum, pariter cultum, semperque colendum;
Et Paracletum, omnis curae casusque Levamen.
Christe, graves hominum semper miserate labores,
Salve, vera Dei Proles, Decus addite terris;
Tu nos servandi cupidus, mirabile dictu,
Ausus es in gremium sanctae descendere Matris;
Quaeque Pater fidae secrevit limina genti,
Te duce, morte patent aeterna palatia coeli.

Tu, dexter purâ Genitoris luce refulgens,
Tandem hominum veniens vitasque et crimina disces,
Largaque Virtuti statues sua praemia Judex.
Ad Te confugimus miseri, quîs sanguine lotis
Ipse tuo clemens coeli nunc annuis arcem;
Aeternâque tuis cum sanctis laude corones!
Jam Tibi nos penitus totosque en! tradimus ultro;
Te, veniente die, Te, decedente, canentes.
Haec Tibi semper erunt: dum spiritus hos reget artus,
Usque decus nomenque tuum laudesque manebunt.
Tu modo, Sancte Deus, sceleris contagia nobis
Pelle procul miserans, expelle, precamur, et audi
Quae petimus freti Christo duce et auspice Christo.
Uno in Te suprema salus; miserere tuorum.

R. B. K.

HYMNI SACRI IN FESTIS ECCLESIAE PRAECIPUIS.

IN ADVENTU.

Raptus agente Deo, venturaque secula longe
Prospiciens animo vates, ferventia gratis
Ora sonis reclusit—'Io salve! inclyta, salve!
Eoas inter gentes, urbesque superbas
Prima futura, Salem! Tibi jam solatia luctus
Magna fero, Tibi longinquos producta per annos.
Praedico imperia, et saecli nascentis honores.
Scilicet Hebraeas inter purissima Nymphas
Concipiet Virgo, Natumque educet in auras;
Illum ingens Tellus, Illum vaga flumina, et omnis
Amplexus late terrestria littora pontus
Laetitiâ accipient nascentem, Illum ardua coeli
Sidera, coelestesque agnoscent carmine Turmae.
Surge age, Nate Dei! mortalemque indue formam!
En! Tibi ut ipsa parens gremio Natura feraci
Fundat opes; en! ut flores, atque omnia circum
Spargat odoriferi spirantia munera Veris!
Ipse caput, magni Adventûs jam conscius, altum
Laetior attollit Lebanon, gaudetque supinam
Culmine humum spernens, affectatque aetheris auras,
Fragrantique quatit salientes vertice cedros.

Nam Te, supremi linquentem limina Patris,
Per Terras sacrata Fides, formâque verendâ
Justitia, et laeto sequitur Pax aurea vultu,
Puraque tranquillo regnat Concordia Mundo.'

Wellesley.

IN NATALI DOMINI.

O nox vel medio splendidior die,
Cujus per tenebras virginis integrae
Ex alvo nitidâ Sol novus emicat,
Complens omnia lumine.

Aeterno imperio qui regit omnia,
Humanumque Deo conciliat genus,
Is nunc sub tuguri vilis operculo
Nascens, pauperiem docet.

Pastores ovium, dum gregibus suis
Intenti vigiles excubias agunt,
Primi hunc angelico carmine nuntium
Laetis auribus hauriunt.

Grata est haud dubie simplicitas Deo,
Grata est vita, dolis quae procul omnibus
Rectum sponte suâ perpetuo colit,
Et priscam retinet fidem.

Simplex aetherii numinis Unitas,
Quae distincta eadem est veraque Trinitas,
Aeternis vigeat semper honoribus,
Et terrâ simul et polo.

Muretus.

IN DIE S. STEPHANI.

Levitae juvenis fortia pectora
Ornari solitis tempus honoribus,
Primus martyrii qui sibi lauream
Vitae prodigus induit.

Tundebat lapidum, grandinis in modum,
Denso turba fremens imbre sacrum caput:
Nunquam mota suo sed tamen est loco
Mens Sancto ebria Spiritu:

Sed sese in mediis ictibus erigens,
Ad coelum penetrans, en! ait, en! Eum,
Pro quo dulce mori est, jam video Patris
Ad dextram positum Dei.

At tu, Christe, sinu suscipe me tuo,
Atque his, qui tenebris turpibus obruti,
Quo sese impediant crimine, non vident
Quaeso te, veniam dato.

Simplex etc.

Idem.

IN DIE S. JOHANNIS EVANGELISTAE.

Christo prae reliquis carus Apostolis
Qui supra domini pectus in ultimis
Discumbens epulis composuit caput,
Festâ luce canendus est.

Felix, cui Dominus jam rigidâ in cruce
Pendens, jamque neci proximus, et Patri
Sanctam Sancto animam tradere cogitans,
        Matrem crediderit suam!

Felix, qui se aquilae more super polos
Tollens, et nitidâ in luce Deum videns,
Divino eloquii flumine Filium
        Aequalem docuit Patri!

Felix, qui senio jam gravis, et sacra
Multâ canitie tempora consitus,
Ut si membra levis corriperet sopor,
        In Christi rediit sinum!

Simplex etc.

Idem.

IN DIE SS. INNOCENTIUM.

Cantemus tenerorum agmina Martyrum,
Quos regis rabies abstulit impii,
Cunas innocuo sanguine proluens,
        Christum perdere dum furit.

O nullis feritas cognita saeculis,
Materno pueros e gremio rapi,
Perfossa ut gladiis pectora barbaris
        Lac cum sanguine funderent.

Heu quis, quum solito raptus ab ubere,
Destrictumque pavens ad gladium puer
Blandas carnifici porrigeret manus,
        Siccis adspiceret genis?

Augent angelicos nunc pueri choros,
Et Christum liquido gutturre concinunt:
Herodem meritis debita talibus
        Poena in perpetuum premit.

Simplex etc.

Idem.

IN DIE CIRCUMCISIONIS.

Circumciso agitur lux Domino sacra,
Quae jam, si Dominum rite licet sequi,
Impura e tumidis omnia nos monet
        Circumcidere cordibus.

Umbra Evangelii lex fuerat vetus;
Sed sol exoriens ut tenebras fugat,
Sic sol justitiae legitimis suum
        Finem ritibus attulit.

Nobis corporeo nil gladio est opus:
Sermo quippe Dei vivus et efficax,
Sese instar gladii mentibus inferens,
        Ad vivum omnia persecat.

Quae semper vitii germina pullulant,
E nostris utinam cordibus amputet!
Anni principium sit simul ut novi
        Vitae principium novae.

Simplex etc.

Idem.

IN DIE EPIPHANIAE.

Quae vos causa, Magi, dicite, perpulit
E vestris iter huc carpere finibus?
Quem tanto studio quaeritis anxii?
Quove haec munera pertinent?

Nos stella insoliti luminis huc trahit,
Et dux certa viam perpetuo praeit,
Judaeae populis quae cupientibus
Regem significat datum.

Auri isthaec sed enim quid sibi pondera,
Myrrhae mirificus quid sibi vult odor?
Aut quae, quum populus sacra Deo facit,
Aris thura solent dari?

Rex auro colitur: thura Deum decent:
Nostri myrrhâ homines post obitum linunt.
Huic ergo haec pariter munera congruunt,
Qui et Rex est et Homo et Deus.

Simplex etc.

Idem.

A SEPTUAGESIMA AD CINERES.

Eheu! quam scelerum non tolerabilis
Nos urget miseros sarcina, quae Dei
Nostris principio mentibus inditam
Obscuravit imaginem!

Si nos pro meritis accipiat Deus,
Causae nil fuerit, quo minus agmine
In tristes tenebris perpetuis domos
Uno praecipites agat.

Sed semper facilis flecti in eos fuit,
Quos culpae ex animo poenituit suae.
Nunquam horum lacrymis et gemitu tulit
Se frustra veniam peti.

Hac spe, quam Ipse dedit, poscimus ut gravi
Pressos exoneret pondere, neve Se
In nostro rigidum crimine Judicem,
Sed mitem exhibeat Patrem.

Simplex etc.

Idem.

A DIE CINERUM.

Multis tensa epulis viscera dum tument,
Mens oppressa nihil cogitat arduum,
Et more indomiti luxurians equi
Pugnat spiritui caro.

Sed subtracto eadem comprimitur cibo,
Et se spiritui morigeram exhibet:
Qui, quum nulla gravant pondera sordium,
In coelum celer evolat.

Primus corporeo Legifer a cibo
Bis binos decies abstinuit dies:
Quem Christus numerum nos itidem sequi
Exemplo docuit suo.

Sed frustra vetitis os tenet a cibis,
Qui factis animum turpibus inquinat.
Jejuno assiduae conveniunt preces,
        Cumque his munificae manus.

Simplex etc.

Idem.

IN DOMINICA PASSIONIS.

Aequaeva ingenito Progenies Patri,
Vitam morte suis redderet ut suâ,
Se Christus nivei velleris hostiam
        Ultro supplicio obtulit.

O erga immeritos mirus amor Dei!
Natum, quae pietas, tradidit unicum
Ut pro mortiferâ fraude nocentium
        Poenas solveret innocens!

O non visum alias sacrificî genus,
In quo aeterna Deo sacra facit Deus,
Et mortem moriens opprimit et sibi
        Ipse est victima Pontifex!

O crux tincta sacri flumine sanguinis,
Olim supplicium mancipiis grave,
Nunc regum capiti praecipuum decus,
        Mundi gloria maxima!

Simplex etc.

Idem.

IN DOMINICA IN RAMIS PALMARUM.

Regem pacificum, moenia dum subit
Urbis celsa suae, turba manu ferens
Palmarum gravidos obvia termites,
    Faustis vocibus excipit.

Hic laetas spoliat frondibus arbores;
Hic serta ante pedes florea projicit;
Supplex ille manus porrigit; hic suis
    Terram vestibus obtegit.

Heu mentes hominum! Quis fore crederet,
Quem tantis studiis exciperet frequens,
Post paucos ut eum turba eadem dies
    Suffixum adspiceret cruci?

Nil in vitâ homini perpetuum datur.
Rebus ne nimium fidite prosperis.
Plerumque hic lacrymis gaudia temperat
    Certo consilio Deus.

Simplex etc.

Idem.

IN DIE PASCHAE.

Ponatur lacrymis jam modus, et novis
Templorum resonent atria canticis.
In vitam reduci nam Domino sacer
    Poscit laetitiam dies.

Lux post Christi obitum tertia venerat,
Quum spes sancta, moraeque impatiens amor
Matronas parili nomine nobiles
    Visendum ad tumulum vocat.

Tum motum lapidem, tum lapidi vident
Innixum niveis vestibus Angelum;
Qui, quo sollicitis eximeret metum,
    Pauca et certa loquutus est:

Non hoc amplius est, quem petitis, loco,
In vitam rediit Christus ab inferis.
Ite, et discipulis haec eadem date
    Summi nuntia gaudii.

Simplex etc.

Idem.

IN DIE ASCENSIONIS.

Victae in perpetuum mortis et inferûm
Insignis spoliis, luce nitens novâ,
Primusque insolitum Christus iter secans,
    Arces in patrias redit.

Natus nasci iterum nos quoque dum cupit,
Mundo, mortuus est, nos cupiens mori,
Surgens et repetens aethera, nos quoque
    Ut possimus idem, dedit.

Christo nunc igitur vivere nos decet,
Ut Christo pariter detur inemori.
Surgentes eadem nos quoque gloria
    Puro lumine vestiet.

O per qui Te, hominum Dux bone, detulit
Sanctae sanctus amor Virginis in sinum,
Nos dignare tuo tollere nunc sinu
Usque in sideream domum!

Simplex etc.

Idem.

IN DIE PENTECOSTES.

Lustra nostra tuâ pectora lampade,
Qui quondam altisono Spiritus a Patre
Lustrasti unanimes missus Apostolos,
Linguis diditus igneis.

Confirma dubios, dirige devios.
Consolare tui muneris indigos,
Letalique animos frigore torpidos
Sanctis ignibus excita.

Mens doctrinam avide nostra bibat tuam,
Perstetque assidue tota Deo calens,
Et, spem firma in eo constituens sibi,
Terram pro nihilo putet.

O rerum alme Sator, certe homines sumus,
Quanquam indigna, tuae semina dexterae,
Ne fer, quos tua vis extulit ex humo,
Aeterno exitio obrui.

Simplex etc.

Idem.

IN DIE SS. TRINITATIS.

O nullis hominum pervia sensibus,
Naturae penitus sola capax tuae,
Cujus condita sunt omnia numine,
Aeterna et Monas et Trias.

Nate aequaeve Pater, Nateque par Patri,
Et manans ab utroque inclyte Spiritus,
Circumfusa tuo nubila lumine
Nostro discute pectori.

Da, mens per speculum cernere Te queat
Nostra, et posthabitis Te petat omnibus,
E jussisque tuis pendeat, et Tibi
Soli dedita serviat.

Tu, clemens miseris da veniam, Pater:
Tu, Filî, miseris pande iter ad Patrem:
Tu, Sanctum miseris Pneuma vagantibus
Praefer conspicuam facem.

Simplex etc.

Idem.

IN DIE TRANSFIGURATIONIS.

Quam crebro dederat discipulis fidem,
Confirmare modis dum studet omnibus,
Tres secum comites montis in ardui
Assumpsit Dominus jugum.

Illic frons radiis cincta micantibus
Solaris nituit lampadis in modum :
Tum, qua tectus erat, protinus est nivi
    Vestis reddita concolor.

Cum Christo gemini visi etiam senes.
Et jussa ad populum cui dederat Deus,
Et qui sidereas visus erat domos
    Quadrigis petere igneis.

E nubis nitidae quin etiam sinu
Haec dicta omnipotens intonuit Pater :
En, dilectus adest Filius unicus !
    Hujus jussa capessite.

Simplex etc.

Idem.

IN DIE S. MICHAELIS.

Coelestis canimus militiae ducem,
Qui perjura bonus dissipat agmina,
Et dejecta locis non sibi debitis
    Sedes trudit ad inferas.

Horrendo imbiberat pectore septiceps
Bis quinisque ferox bellua cornibus,
Intactae subolem Virginis unicam
    Saevis mandere dentibus.

Aeterni imperio sed Michaël Patris
Conatus Satanae reddidit irritos :
Et monstrum innumeris fraudibus obsitum
    Victor stravit humi potens.

Idem deposito pondere corporis
Exsortes animas criminis excipit,
In coelumque alacres tollit, et in loco
Lucis perpetuae locat.

Simplex etc.

Idem.

IN FESTO OMNIUM SANCTORUM.

Mente Deum purâ quisquis veneratur amatque,
Vis illi exterior nulla nocere potest;
Non si illum obsideant hostiles undique turmae,
Quas sitis innocui sanguinis exagitet:
Non toto coeat si quidquid in orbe ferarum est,
Et quot in Oceani gurgite monstra natant.
Ille, licet tristes agitent maria alta procellae,
Undarum in medio vertice tutus erit.
Non quaecunque truces adhibent tormenta tyranni,
Illius unquam animum terrificare queant.
Pix, rota, robur, equus, candentis lamina ferri,
Omnia pro Christi nomine ludus erunt.
Felices, quorum ille imis amor ossibus haesit!
Quanta illos obitâ praemia morte manent!
O si me quondam numero Deus aggreget illi!
Quae tunc sors melior sorte futura meâ est?
Ah Christe, ure meum tandem face pectus amicâ,
Eque pigro invisum discute corde gelu!
Ut nec avarus opes secter, neque vanus honores,
Sed flagrem solo totus amore Tui.

Idem.

IN DIVAM CATHERINAM.

Quo te praecipue commendam nomine, Virgo?
  Laus etenim quae te non minor esse queat?
Magnum erat errores veterum liquisse parentum,
  Majus at imperium deseruisse fuit.
Magnum erat immanis rabiem sprevisse tyranni,
  Supplicia at majus sponte subiri fuit.
Magnum erat his vitam sponte objecisse periclis:
  Majus nunquam animo succubuisse fuit.
O decus eximium patriae sexusque polique,
  Dicere te merito nullus honore potest.

EADEM DE SE IPSA LOQUITUR.

Illecebras inter medias educta virago,
  Re princeps, mulier corpore, mente dea,
Nixa Deo, mundi spernens mala gaudia, vici
  Tum tormenta animo, tum ratione sophos.
Non rota, non gladii, non ipsi horrenda tyranno
  Mors potuit mentem sede movere meam.
Scilicet haud quidquam mens Christo afflata veretur,
  Ille meae vires, et mea vita fuit.
Quid, fuit? Estque fuitque, atque est sine fine futurus;
  Principium vitae mors dedit ipsa mihi.

Qui legis haec, sic tu te etiam compone, viator:
  Mors tibi pro Christo vita perennis erit.

Idem.

MORS INFANTULI.

Mourn not o'er early graves, for those
  Removed whilst only buds are shown;
For God, who sowed and watered knows
  The time to gather in his own.

This blossom knew no winter's breath,
  Sheltered beneath the Almighty wing;
And though it felt the stroke of death,
  Blest babe, it never felt the sting.

Anon.

LATINE REDDITUM.

Funera ne plores intempestiva, quod ipso
  Germine deperiit flos inapertus adhuc.
Qui sevit, proprioque Deus sata rore rigavit,
  Scit bene quo demum carpere quaeque die.

Flosculus hic brumae non novit flabra, sub alae
  Omnipotentis enim tegmine tutus erat.
Et, quamvis ictum subiisti, infantule felix,
  Expertus non es spicula dura necis.

Latham.

The following lines, by way of epitaph, were written soon after the Bishop's death, and inserted in Webb's Collection of Epitaphs, vol. i. p. 97.

Beneath this marble Butler lies entomb'd;
Who, with a soul inflamed by love divine,
His life in presence of his God consumed,
Like the bright lamps before the holy shrine.
His aspect pleasing, mind with learning fraught;
His eloquence was like a chain of gold,
That the wild passions of mankind controll'd.
Merit, wherever to be found, he sought:
Desire of transient riches he had none;
These he with bounteous hand did well dispense,
Bent to fulfil the ends of Providence,
His heart still fix'd on an immortal crown.
His heart a mirror was of purest kind,
Where the bright image of his Maker shined;
Reflecting faithful to the throne above
The irradiant glories of the Mystic Dove.

LATINE REDDITUM.

In Butlerum, Episcopum Dunelmensem, Epitaphium.

Butlerus tumulo jacet hoc sub marmore pôstus,
Cui mens divino semper flagrabat amore,
Vitaque sic, praesente Deo, quam longa, peracta est,
Lampades ut sancto collucent usque sacello.
Felix, qui potuit rerum cognoscere causas:
Dulcis in ore decor: mortalia pectora novit
Eloquii auratis veluti cohibere catenis.
Virtutem invenit veram quacunque latentem:
Divitias sibi corradens non ille caducas,
Usque pios, ut dona Dei, dispendit in usus.
Hoc opus, hoc studium, summo placuisse Magistro,
Aeternamque suo capiti petere inde coronam.
Purius electro pectus divina videtur
Ora referre, novo coelesti lumine candens.
Ecce! repercussum speculo Se vidit in illo
Spiritus Ipse suâ gavisus imagine clarâ.

R. B. K.

Obiit Bathoniae 16 Kalend. Julii, a. d. 1752.
Annos Natus 60.

Pars Secunda.

MARCI ANTONII MURETI

EPIGRAMMATA SELECTA.

IN MURETUM.

Tu tantum superas alios, Murete, poetas
  Quantum alias vincit Daulias ales aves:
Tale canis nobis carmen testudine quale
  Pieridum dictat Delius ipse choro.

Sic nunc, Diva, tuâ cantat Muretus in orâ:
  Accessit ripae gloria magna tuae;
Saxonici regis quâ altae sub vertice turris
  Sturiasin nymphis carmina grata canit.

R. B. K.

MARCI ANTONII MURETI EPIGRAMMATA SELECTA.

I.

JULIO CAESARI SCALIGERO.

In tenues numeros, primi monumenta furoris,
  Quo mea non simplex corda subegit Amor,
Dirige siderei radiantia lumina vultus,
  Caesar, et haec nati ludicra nosce tui.
Neu pigeat studiis aliquot gravioribus horas
  Subtrahere: interdum deserere illa leve est.
Nempe ducum haud quisquam, licet imperterrita gestet
  Corda ferox, gladios semper et arma terit.
Qui populos jussisque regunt, nutuque coercent,
  Et retinent forti regia sceptra manu,
Non renuunt animos rerum moderamine pressos
  Interdum teneris exhilarare jocis:
Saepe etiam vasti Mens unica Jupiter orbis
  Flectere se a magnis ad leviora solet.
Insequere exemplum regumque, ducumque, Deique,
  Dux olim, et princeps: nunc mihi pene Deus.

II.

IN EUNDEM.

Dic, dea, quod possim scripturus fingere nomen,
Scaligeri quod par laudibus esse queat?
Cur petis imprudens, quod habes? dic, Scaliger: illud
Omnia virtutum nomina nomen habet.

III.

IN EUNDEM.

Dicite mî, Musae, cultissima numina nobis,
Quonam Scaligeri pascitis ora cibo?
Sic ego, sic Musae: quam te sententia fallit!
Nectare quo potius nos alat ipse, roga.

IV.

DE SEIPSO.

Dicebam Euterpae, coeptis in versibus haerens,
Auxilium fratri porrige, diva, tuo.
Fraterno mota est in risum nomine, virgo,
Et nitido sudum reddidit ore diem:
Tunc ego subridens, mirari desine: nam mî
Si pater est Caesar, tu soror esse potes.

V.

JULIO CAESARI SCALIGERO.

Quum tibi tam valde placeant mea carmina, Caesar,
Vel si non bona sint, jam bona facta puto.

VI.

AD ANIMUM SUUM.

Quonam abiit mî animus? num quo solet? auguror illuc:
Pectore se dominae condidit ille meae.
Siccine me tandem miserum, fugitive, relinquis?
Siccine, desertor, castra inimica petis?
O saltem flammata tuo vel ab igne calescat,
Frigore vel flammas enecet ipsa tuas!

VII.

AD MARGARIN.

Virgo oculis ipsis merito mihi carior, ac non
Solum oculis ipsis, quin etiam ipsâ animâ,
Quam niveus morum candor, mens nescia fraudis,
Plus quam majorum stemmata nobilitant,
Nobilitent licet ipsa, licetque a sanguine claro,
Et non obscurâ sit tibi stirpe genus,
Quanta, putas, nostram vexarunt taedia mentem,
Ex quo diversis coepimus esse locis?
Mitius, hostili ruerent quum Pergama dextrâ,
Laomedontiadas indoluisse puto:
Mitius Electram, falsas quum tristis ad aures
Venit Oresteae nuntia fama necis.
Scilicet haud alius campis errabat Aleis
Excussus patrio munere Bellerophon.
O quoties aegro suspiria pectore duxi,
Atque ignis, dixi, quam procul hinc meus est!
O quoties quavis libuit mihi morte pacisci,
Possemus paucos ut simul esse dies!

Occurrunt animo ridentia lumina nostro,
  Occurrit fusco blandus in ore lepos:
Nunc molles subeunt risus, nunc gratia fandi,
  Nunc subeunt sciti, sed sine dente, sales,
Verbaque, amarescunt mihi prae quibus omnia mella:
  Ah! me his tam longum posse carere bonis?
Improba, Persephones educta ex carcere pestis,
  Vix tua plus ulli, quam mihi, tela nocent:
Falx tua non paucos leto multavit amaro,
  Falx tua corde meo me jubet esse procul.
Illis finis adest vitae, finisque dolorum:
  At mea perpetuus pectora languor habet.
Ah! nunquamne ego te posthac, mea cura, revisam?
  Nunquamne os istud suaviloquum aspiciam?
Nunquam erit, ut veteri Sol nos de more jocantes
  Conspiciat surgens, conspiciatque cadens?
Certe equidem eveniet. Viden', ut jam fulgure laevo
  Firmarit nostras Jupiter ipse preces?
Spes fovet in medio jactatos aequore nautas,
  Spes fovet armatos, spes fovet agricolas,
Spes fovet inclusos tenebroso carcere sontes,
  Et nos in vitâ spes quoque sola tenet:
Haec modo ne quando incaute concepta putetur,
  Fac, fiat scriptis certior usque tuis.

VIII.

EIDEM.

Dicere dum conor nostros tibi, vita, dolores,
  Ah! misero ex ipsis verba labris abeunt:

Dum tegere et clauso meditor sub corde tenere,
  Ingeminat vires abdita flamma suas.
Quid faciam? ex aequo magnum discrimen utrinque
      est,
  Sive loqui coner, sive tacere velim.
O quae sola meo jam dudum in pectore regnas,
  Una meos casus, diva, referre potes.

IX.

AD NOCTEM, SYDERA, ET AURORAM DE DOMINAE PULCHRITUDINE.

Nox furva atque alis horrenda nigrantibus, et vos
  Fixa meae vultu saepius astra deae,
Audite haec: tu primum Erebi centumplicis uxor,
  Quae veniens uno cuncta colore notas.
Non pudor est, ubi flammeolo te Margaris ore
  Pellit, et invitum cogit adesse diem?
Vos quoque lucentes Aethrae radiantis ocelli,
  Quorum alta assiduo templa canore sonant,
Non pudor est, oculis ubi scintillantibus illa
  Cedere tot vestras lampadas una jubet;
Et tu Dardanii conjux formosa mariti,
  Tangere sol cujus nil nisi terga potest,
Numquid ubi aspexti, quam te procul illa relinquat,
  Nativus roseo crescit in ore rubor?
Non, puto; quin illi ultro omnes conceditis, in quâ
  Miratur vires Jupiter ipse suas.

X.

IN VIRGILIUM. VIRGILIUS IPSE LOQUITUR.

Cor Phoebi, Phoebus Latii, vatum pater et rex,
 Fons ex quo Aoniae prosilit humor aquae,
Par fieri volui, major sed factus Homero,
 In Graecos Romae jura secunda dedi:
Ad coelos tandem raptus, Jove judice, dicor
 Nectareâ illorum vincere voce sonos.

XI.

GULIELMO MOMBASIO, EPISCOPO LECTORENSI.

Quod tam censeris generoso sanguine, Praesul,
 Quodque es tam multis clarus imaginibus,
Illa quidem certe laus est non infima, sed quae
 Tota ad majores sit referenda tuos.
Quod superas opibus multos, quod honoribus anteis,
 Fortunae haec dici munera posse vides.
Quod sis augusto spectandus corpore, forsan
 Natura hanc dotem vindicet ipsa sibi.
At quod tam multis fulges virtutibus atque
 Eximiis rari dotibus ingenii,
Quodque tuis lucem praeferre nepotibus illam,
 Quam tibi majores ante tulere, potes:
Haec demum est tua laus: haec, Praesul, laus tua demum est:
 Una haec te superis inserit ordinibus.

XII.

PRO CAROLO MONTAUSERIO AD MARGARITAM REGINAM NAVARRAE.

Mens regni, sexus lumen, stupor orbis, in uno
  Munera quae divûm corpore cuncta tenes,
Conspicere in qua unâ veteres licet heroinas,
  Et quidquid veteri laudis in orbe fuit :
Delicium coeli, terrae decus, accipe, quae se
  Advolvunt pedibus carmina pauca tuis.
Nam quamvis tibi nulla dari, nisi magna, decebat ;
  Parva tamen laetâ sumere fronte soles.
Illa tibi cum dîs communis, ut omnia, virtus,
  Vili etiam placant quos data thura manu.
Fors olim majora tibi, et meliora dicabo,
  Si modo me solitâ, diva, fovebis ope.
Te sine nil, sed multa tuo cum numine possum :
  Nititur auxilio spes mihi tota tuo.
Ipse quidem prorsus nihil hoc sum tempore : sed tu
  Ex nihilo me aliquid reddere, diva, potes.

XIII.

IN INSIGNIA LUCAE SEMBRONIS STELLAM VIDELICET CUM ROSA.

Esse rosas coeli merito quis dixerit astra :
  Astra sed et terrae dixerit esse rosas.

XIV.

AD PHYLLIDEM.

Quum ducenda mihi sine te sunt tempora, Phylli,
  Longior est anno mensis, et hora die.
At tecum si quando datur mihi vivere, rursus
  Esse diem credo, qui modo mensis erat.
Te sine vel Tauri quum lustrat cornua Titan,
  Semper adesse mihi moesta videtur hyems.
At tecum medio gelidae sub tempore brumae
  Ire tamen veris tempora laeta puto.
Te sine nox mihi fit, medio quum Phoebus in axe est:
  At tecum in mediâ fit mihi nocte dies.
Quantum in me miserum juris tibi fata dedere!
  Quae mihi vel coeli vertere jura potes.

XV.

IN APOLLINEM.

Quum timidam cupidus Daphnen sequeretur Apollo,
  Currentem celeri per juga summa pede,
'Improbe,' narratur tristis dixisse, 'Cupido,
  Incaluit pectus cujus ab igne meum,
Aut concede tuas, quibus istam persequar, alas,
  Aut tua de nostro pectore tela move.'

XVI.

F. LACCIO CAIRIECHIO.

Tune meo elabi possis de pectore, Lacci,
  Aut ego, dum vivam, non meminisse tui?

Ante vel istius mundi compage solutâ,
  Omnia in antiquum sint ruitura Chaos.
Quin mihi, quum Lachesis summos perneverit annos,
  Nostra sonum referent nominis ossa tui.

XVII.

JOHANNI COSTECANDO.

Ni quantum pote quisquam amare quenquam,
Tantum te ipse amo, Costecande, ni te
Totum non oculis fero jam in ipsis,
Verum in pectore et intimis medullis :
Contingant mihi cuncta, quae timentur,
Et multo graviora, quam timentur,
Tanto ut sim ipse miserrimus malorum,
Quanto tu unus es optimus bonorum.

XVIII.

IN PONTICUM.

Ponticus eximium dum sese ait esse poetam,
  Hoc solo dici jure poeta potest.

XIX.

CUIDAM.

Hos tibi quid juras factos ex tempore versus ?
  Pagina, si taceas, id satis ipsa probat.

XX.

IN PONTILIANUM.

Quum rapidus medio desaevit in aequore Titan,
Fer, puer, huc cyathos, Pontilianus ait:
Quum pluit, en! inquit, deus admonet esse bibendum,
Qui nunc tam multo proluit imbre solum:
Sic vacua a potu non unquam tempora ducit,
Curque bibat, semper Pontilianus habet.

XXI.

IN EUNDEM.

Cur tua vix unquam sint salsa epigrammata, quaeris?
Diluis haec nimio, Pontiliane mero.

XXII.

IN LAIDEM.

Non toto est mulier, quam Lais, justior orbe:
Cur ita? nam rectum semper amare solet.

XXIII.

DE VIRTUTE ET GLORIA.

Virtus, ut solidum quiddam est, et corpore constans:
Aequa sed est umbrae gloria fluxa levi.
Hanc igitur quisquis neglectâ amplectitur illâ,
Huic mage quam corpus, corporis umbra placet.

XXIV.

MARIO CRUCIO.

Forma aetate perit: vires aetate fatiscunt:
  Casibus innumeris eripiuntur opes:
Una, Mari, est virtus, quam non vis temporis aufert,
  Non premit indigno sors inimica pede.
Una suos invicta perennibus inserit astris,
  Fortunae imperio liberat una suos.
Hanc sequere. Insani est postponere firma caducis,
  Veraque quae bona sunt, spernere, falsa sequi.

XXV.

DE VOLUPTATE ET RATIONE.

Quum velut excelsâ residens in puppe, voluptas
  Arbitrio mentem pellit agitque suo,
Horrida bacchantes ineunt certamina venti,
  Navemque in Syrtes et vada caeca trahunt:
Illinc Ambitio, Dolus hinc consurgit, et atrox
  Ira cruentatas sanguine tincta manus.
At Ratio regimen navis si sumpserit, ecce!
  Compositis undis aequora tuta silent:
Ipsa ratis nullo ventorum exterrita flatu
  In portum certo tramite flectit iter.

XXVI.

DE LUCII CUJUSDAM MEMORIA.

Esse aliquam si quis memorandi perneget artem,
Hanc qui confirmet, Lucius unus erit:
Ille etenim nuper curâque adjutus et arte
Tres versus totidem noctibus edidicit.

XXVII.

FATIS PARENDUM.

Obsequitor fatis: ducent te fata volentem:
Sin minus, invitum te tamen illa trahent.

XXVIII.

PETRO QUINTIO.

Si dea, quae dubiis huc illuc passibus errat,
Et regit humanas, lumine capta, vices,
Quem Labyrintheis erroribus egit, Ulyssem
Ad patrios esset passa senere focos;
Membraque lausque viri tumulo caperentur eodem,
Et tegeret nomen, qui tegit ossa, lapis.
At quoniam fatis varie crudelibus actus,
Dura tulit terrâ plurima, plura mari;
Vivit, et evectus rutilis super aethera pennis,
Maeonio clarum carmine nomen habet.
Macte animo, Quinti: dum te sors invida vexat,
A patriisque procul finibus esse jubet,

Virtutem illa tuam toto disseminat orbe,
  Dumque nocere cupit, sic quoque saeva juvat.

XXIX.

IN CRASSUM.

Quod ruri maneo studiis addictus honestis,
  Rusticus hoc videor nomine, Crasse, tibi.
Rusticus ille quidem non est, qui rura pererrans,
  Ingenium rerum cognitione colit:
At tu, qui nullam nosti stultissimus artem,
  Esse vel in mediâ rusticus urbe potes.

XXX.

IN GAURUM.

Fama est, hoc anno morituros esse poetas:
  Quid metuis? nil te, Gaure, timere decet.

XXXI.

PAULO.

Das mihi lactucas, centum sed mutua poscis:
  Desine: lactucas, Paule, minoris emo.

XXXII.

IN PHAEDRAM.

Quum Phaedra Hippolyti disjectos cerneret artus,
  Membraque tam multis sanguinolenta locis,

Postquam non potui vivum te inflectere, dixit,
  Persequar ad Stygios te tamen usque lacus.
Dixit, et incumbens gladio, terram ore momordit.
  Saepe amor insanus talia monstra parit.

XXXIII.

DE MORTE M. BRUTI.

Brutus ut Augusto belli succedere palmam,
  Et paullum a victis vidit abesse suos,
Amplexus gladium multâ jam caede madentem,
  Ergone te, dixit, sospite, servus ero?
Quin potius fatis id quod praeclusa malignis
  Non potuit patriae, dextra datura mihi est.
Haec fatus, rutilum per costas exigit ensem,
  Magnanimoque cadens pectore pulsat humum.
Sic quoque, dum moritur, labris dum spiritus errat,
  Nunc ait, invito Caesare, liber ero.

XXXIV.

DE MORTE M. T. CICERONIS.

Quum ferus adstaret stricto mucrone satelles,
  Sumere supplicium de Cicerone parans,
Immoto vultu, atque oculis constantibus ille
  Praebens infandâ colla secanda manu,
Publica libertas vitâ mihi carior, inquit,
  Me quoque, me fas est, te moriente, mori.

XXXV.

TIBUR.

Quicunque Herculei spectabit Tiburis arces
Quâ pater[1] Hippolytus, sacri pars magna senatus,
Cura Deûm, loca perpetuo prius aspera saxo
Molliit, et leni jussit mitescere clivo;
Omnia deprendet longe superantia famam,
Nec tam regifico constructa palatia sumptu,
Auroque illusas aedes, radiataque tecta,
Quam semper virides mecum admirabitur hortos,
Et gelidos fontes, et aquam in sublime volantem,
Seque in multiplices vertentem, ut Protea, formas.

Praecipue tamen illi animum novitate movebit
Excisus, res mira! silex, rupesque cavatae,
Et via facta manu longi per viscera montis;
Quâ se Anio pater insueto pervolveret alveo,
Qui longum per iter tenebroso tramite lapsus
Exit, et arboribus gelidae non invidet undae.

Stant habiles propter Nymphae, lymphasque paratis
Exceptas urnis in vasa capacia fundunt.
Parte aliâ ipse suis altricibus adstat Iacchus,
Maternique memor casus, flammaeque paternae,
Gaudet aquis, illisque libens sua munera miscet.

Dum stupeo, tam multa videns miracula rerum:
Ecce novus procul alituum concentus ad aures

[1] Cardinalis Ferrariensis, vir suo tempore insignis, et omnium honestarum artium patronus singularis.

Fertur, et insolitâ mentem dulcedine tangit.
Aspicio, et gressum propius fero; corpora cerno
Parva ex aere avium, aeratis nitentia ramis,
Daedala quîs variam tribuit sollertia vocem.
Quamcunque adspicias, delusus imagine, veram
Esse putes volucrem, nisi quod non evolat usquam,
Sed ramis affixa suis cantu aethera mulcet.
At verae mirantur aves, et cedere dum se
Turpe putant, liquidis late omnia questibus implent.
Hic Lucae egregius labor est, quem Sequana partu
Ediderat, Siculi renovantem inventa magistri.

Quid? quem non moveat cygnum mentitus adulter,
Illudens simili spirantem e marmore Ledam,
Deliciisque suis, et aquarum murmure laetus?
Multaque praeterea veterum simulacra deorum,
Artis opus priscae. Cunctos verum arduus inter
Eminet Alcides; qui spectans omnia circum,
Hesperidum veteres hortos prae Tibure temnit.

Sed quid ego haec versu nequidquam includere tento?
Jam pridem exiguum praescripti carminis orbem
Excessi; et dictis semper majora supersunt.

XXXVI.

BACCHUS FONTI IMPOSITUS. IPSE LOQUITUR.

Nondum natus eram, quum me prope perdidit ignis,
  Ex illo fontes tempore Bacchus amo.

XXXVII.

IDEM EX ADVERSO RESPICIENS FONTEM NYMPHARUM.

Qui colitis Bacchum, comites simul addite Nymphas:
  Nam sine ope illarum munera nostra nocent.

XXXVIII.

IN TABULAM TANTALI.

Si quando admittant sua te ad secreta potentes,
  Quisquis es, exemplo disce tacere meo.

XXXIX.

IN TABULAM JASONIS NAVIGANTIS, ET HERCULIS RAPTUM HYLAM QUAERENTIS.

Viribus auferres, quod fraude parabis Jason:
  Eripit Alciden sed tibi raptus Hylas.

XL.

RAPHAELIS URBINATIS, PICTORIS EXIMII TUMULUS. IPSE LOQUITUR.

Sic mea naturam manus est imitata, videri
  Posset ut ipsa meas esse imitata manus.
Saepe meis tabulis ipsa est delusa, suumque
  Credidit esse, meae quod fuit artis, opus.

Miraris, dubitasque? audito nomine credes.
Sum Raphael, hei mî, quid loquor? Ecce! fui.
Et tamen his dictis, quid opus fuit addere nomen?
Alterutrum poterat cuilibet esse satis.
Nam mea et audito est notissima nomine virtus,
Et praestare vicem nominis ipsa potest.

XLI.

AMICORUM EST IDEM SEMPER SENTIRE ET STUDERE. FRAGMENTUM.

Nescis, quo humanas conjungant foedere mentes
Ignea quae superis sedibus astra micant.
Inde fit, ut studio quicunque tenentur eodem,
Illorum tacitus pectora nectat amor.
Qui fragili gaudet fluctus sulcare carinâ,
Ejusdem socios conditionis amat.
Durus agri cultor reliquos colit arva colentes,
Armaque tractanti, qui terit arma, favet.
Haec vis Parrhasium magno conjunxit Apelli,
Haec eadem celeri Patroclon Aeacidae.
Quidnam erat, Aegiden Jocastâ ut natus amaret,
Ni quod et hic bello fortis, et ille fuit?
Nos quoque qui colimus divas Helicone morantes,
Capta pari studio pectora amare decet.

XLII.

STEPHANO ALISIO, BURDIGALENSI.

Si mea se faciles dederint in vota Camoenae,
Ut per plura meum saecula carmen eat,

Tu pariter mecum memori celebraberis aevo,
  Et tibi scripta vetus per mea nomen erit:
Sin (sed enim verbis et pondus et omen abesto)
  Non seneant domino longius illa suo:
Non tamen idcirco tibi displicitura putabam
  Haec magni in te animi pignora parva mei.

IN MURETUM EPITAPHIUM.

Hic Marci caros cineres Roma inclyta servat,
  Quos Patria optasset Gallia habere sinu.
Stat colle Hortorum tumulus: stat proximus astris,
  Quae propius puro contigit ille animo.
Tu sacros latices lacrimans asperge, Viator,
  Et dic: Heu linguae hic fulmina fracta jacent!

Julius Roscius.

Pars Tertia.

POEMATA VARIA.

AD NAIDA.

Gaudes carminibus, si quando carmina Phoebus,
Arcu laxato, suscitat ipse lyrâ:
Suscitat ipse lyrâ; consurgit turba novena,
Cantu delectans carminibusque deum.

Sic nunc, Nympha, tuas resonantes carmina ripas
Audimus, dulci decipimurque sono:
Audimus Phoebum modulantem carmina plectro;
Romanaeque lyrae vindicat ipse decus.

R. B. K.

POEMATA VARIA.

I.

IN TABELLAM SOLE PICTAM AMICO MISSAM KAL. JAN. A.D. 1877.

Quam tibi nunc mitto tabulam depinxit Apollo;
  Pingenti Phoebo tu modo crede deo:
Crede deo, plus est, quam quod videatur, imago;
  Adde sonum tabulae, protinus ipse loquar:
Ipse loquar, multamque tibi nunc, care, salutem
  Dicam anno in gyrum jam redeunte suum.
Ecce! loquor, festoque die sic te ipse saluto,
  Quo damus alternas accipimusque preces.
Fausta precor, jubeoque novum salvere per annum,
  Et salvere iterum, teque tuamque domum.
Multa ferunt anni venientes commoda secum;
  Plura tibi rediens, optima quaeque, ferat!

R. B. K.

II.

IN PINACOTHECAM QUAM VOCANT PHOTOGRAPHICAM.

Ecce! tibi has tabulas depinxit Phoebus Apollo:
Audeat et quisquam fallacem dicere Phoebum?
Ceu vera in speculo solet apparere figura,
His picta in tabulis nunquam te fallet imago.

R. B. K.

III.

IN EANDEM.

Ecce! tibi has tabulas depinxit Phoebus Apollo:
  Artificem verum quis neget esse deum?
Ceu nitido in speculo vultus apparet imago,
  Hic licet effigiem cernere cuique suam.

R. B. K.

IV.

VENUS MARINA SIVE APHRODITE DE SE IPSA LOQUITUR.

Spuma fui, Graiumque manet mihi nomen ab undis:
  Fluctibus exortam, Spumigenamque vocant.

R. B. K.

V.

IN EANDEM.

Purpureis Cytherea Venus se tollit ab undis,
  Candidaque e spumis candidiorque nitet:
Ipsa[1] Venus Venere est tum visa venustior ipsâ
  Surgere[2] candenti candida diva mari.

R. B. K.

VI.

VENUS. QUALEM SIBI PINXIT APELLES.

In Veneris tabulâ summam sibi ponit Apelles,
  Spumanti exortam quam sibi pinxit aquâ,
Siccantem viridi flavos in litore crines,
  Claraque tollentem lumina ad astra poli.
Talis visa Venus, non illa venustior unquam,
  Surgere candenti candida forma mari:
Quod si illam sollers nusquam posuisset Apelles;
  Mersa sub aequoreis diva lateret aquis.

R. B. K.

[1] Cf. Prop. iii. 23. 5 et lege:—

'Hic Phoebus Phoebo visus mihi pulchrior ipso
  Marmoreus tacitâ carmen hiare lyrâ.'

[2] Saepius dicitur mare 'undis albescere,' et 'incanescere;' sed cur non et candere, vel candescere; cujus scilicet spumarum splendor sole refulgens ipsius nivis candorem exsuperat? Hinc certe orta est Venus Aphrodite *candenti candida diva mari*. Versiculos feci in littore, unde 'mari magno turbantibus aequora ventis' undas aestuantes, spumantes, inter saxa se frangentes, et solis radiis *candentes* spectabam. Sed maris, ut ita dicam, venustatem et infinitam pulchritudinem haud scio an Latini vix satis sentirent et admirarentur.

VII.

STELLA VENERIS.

Aetherias omnes ducit Venus ipsa choreas:
  Testis sidereae tota corona deae:
Sic stellas inter fulgens Cytherea coruscas,
  Praeradiat stellâ signa minora suâ.

R. B. K.

VIII.

VENUS ET CUM PALLADE JUNO. JUDICIUM PARIDIS.

Tempus erat, vitreâ quo primum terra pruinâ
  Spargitur, et tactae rore queruntur aves;
Priamides vigilans in aquosae vallibus Idae
  Tres vidit nudas, obstupuitque, deas:
Scilicet ut Paridi Venus et cum Pallade Juno
  Scissis se nimbis exhibuere simul.
Sic etenim perhibent coelestia numina formam
  Judicio Paridis supposuisse suam:
Sic Venus ipsa, oriens undis, se ostenderat olim;
  Nec fuerat nudam poena videre deam:
Vidit et obstupuit certamina tanta dearum,
  Quae pretium formae tollere digna foret:
Spectat, et erubuit tales spectasse lepores;
  Laetaque purpureâ luce refulsit humus.
Incertus vigiletne, an somni ludat imago,
  Tantas se lites cernere posse negat.
Obstupuit: tollensque manus, "Ignoscite," dixit,
  "Res est arbitrio non dirimenda meo."

Vincere erant omnes dignae, judexque veretur,
  Inter tam pulchras arbiter esse deas.

En! prodit regina deum, Saturnia Juno,
  Ac vultu et gressu conspicienda fuit:
Flava coma est, gravibusque oculis, et maxima toto
  Corpore, et incedit vel Jove digna soror.
Insequitur positis Pallas fulgentibus armis;
  Atque ita nunc fieri Bellica bella velit.
Arma gerens, Pari, bella gerat, nunc bella puella
  Venit in arbitrium nuda Minerva tuum.

Omnibus una omnes sed enim magis usque lepores
  Et veneres visa est surripuisse Cypris;
Emicuitque deas inter Venus aurea quantum
  Astrum inter stellas emicat Idalium:
Spirabat non illa Arabum de gramine odores,
  Sed quos ipsa suo detulit Elysio:
Risit, et arridet toto nova gratia vultu,
  Ut facile agnoscas unde sit ortus Amor:
Dulce renidebant oculi sub fronte serenâ,
  Visa nec est unquam pulchrior ipsa Venus:
Lumina tam dulces referebant paetula amores,
  Lumina luminibus lucidiora poli.
Erubuit, velut alba rubent ubi lilia multâ
  Mixta rosâ, aut tinguat murice si quis ebur:
Candida sic roseo sublucent ora rubore,
  Inficit et teneras purpura clara genas:
Quale coloratum Tithoni conjuge coelum,
  Puniceus niveo subrubet ore nitor.

Constitit ut virgo juveni deducta marito
  Pulchra, puellari plena pudore nitens.
Sic stetit effusis per levia colla capillis
  Ante oculos Paridis semireducta Venus:
Talis nube cavâ visa est effulgere qualis
  Nuda Cytheriacis edita fertur aquis:
Ac, veluti e Pario formatum marmore signum,
  Tota decora nitet tecta pudore suo[1].
Vicit, et hinc victrix, formâ pulcherrima diva,
  Sublimis liquidâ cessit in astra viâ.

Sic placuit magis una Venus, formâque refulgens
  Evicit pulchras pulchrior ipsa deas:
Omnibus una omnes, quum sit pulcherrima tota,
  Sic visa est veneres surripuisse Cypris.

R. B. K.

IX.

IN IMAGINEM MURETI E VIVO EXPRESSAM.

Atqui te Aonias dicebas velle sorores
  Pingere: solve datam, pictor amice, fidem.
Plus etiam feci: namque hac sub imagine, lector,
  Cum Phoebo Aonidum turba diserta latet.

Fremiotus.

X.

IN M. ANTONIUM MURETUM, PRAECEPTOREM OPTIMUM ET CARISSIMUM.

Murete, eximios inter celebrande poetas,
  Cui numerat paucos Gallia tota pares,

[1] Cf. Milton, *Paradise Lost*, iv. 289.

Cui pater ipse Lyram et plectrum transcribit Apollo,
  Quem sibi Pierides spemque metumque putant:
Hos per te exculti primos cape ruris honores,
  Quos tibi dat tremulâ nostra Thalia manu.
Scilicet aurifluae numeroso verbere linguae
  Dum tu corda loquens obstupefacta quatis,
Pectore et a docto gemmarum projicis imbrem,
  Quem rapiat celeri lecta juventa manu;
Per tua ego ingressus timido vestigia passu,
  Sedulus, haec tandem qualiacunque dedi:
Quae tibi dum placeant, aliorum haud puncta morabor:
  Judicio tutus despiciam illa tuo.

Idem.

XI.

IN EUNDEM.

Dicebam: Mihi, Pierides, praesto este canenti,
  Et mihi tu, vatum ductor Apollo, fave.
Aure meas surdâ Musae sprevere querelas:
  Aure meas surdâ sprevit Apollo preces.
Verum ubi Mureti me sum de gente professus,
  Et dixi: Marcus me quoque vester amat;
Mureti audito occurrerunt nomine Musae,
  Sponte et opem Phoebus detulit ipse suam.

Idem.

XII.

IN M. A. MURETI JUVENILIA.

Tam bona posse putas cuiquam juvenilia credi
  Carmina, digna viro, digna, Murete, sene

Quae tibi tam tenuis limae solertia rasit,
  Quam quod Praxiteles ungue polivit ebur.
Ipse suum titulum nimiâ liber arte refutat,
  Auctorisque annos inficiatur opus.
Tu licet affirmes, licet omnia numina jures,
  Contra te facit ars, ingeniumque tuum.
Deme igitur titulum libro, vel deme nitorem:
  Aetatem nitidus debet habere liber.

Auratus.

XIII.

DE CAESARE, TRAGEDIA MURETI, IN QUA BRUTI PRIMAE SUNT PARTES.

Quanta in magnanimi consedit pectore Bruti,
  Pro patriâ virtus quum pia tela daret;
Tanta animo, Murete, tuo sese intulit, ore
  Altiloquo Bruti dum pia facta canis.
Ergo, licet claris raro non invida coeptis
  Fortuna Emathio sparserit ossa solo,
Ille iterum surgit per te post funera major,
  Crescit et ingenio laus rediviva tuo;
Et magis illustri gaudet decorata tropaeo,
  Quam si Pyramidum contegat ossa labor.

Buchananus.

XIV.

CHORUS—EX JULIO CAESARE.

Sors rerum domina omnium
Non usquam stabili fixa manet pede,

Sed vultum assidue innovans,
Incertisque rotans omnia flexibus,
Alternas variat vices.
Seu mitis faveat, sive premat nocens
Vento mobilior volat.
Illam si nitidâ fronte reliquerit
Abdens lampada Delius,
Idem flammivomos quum moderans equos
Mundo restituit diem,
Sub vultu poterit cernere nubilo,
Quîs praesens erat, abditam.
Nec solum exiguis rebus inaestuans
Privatas agitat domos:
Ipsis imperiis, dum libuit, novam
Inducit faciem ferox.
Haec regum arbitrio nos voluit regi,
Donec Tarquinii furor
Commovit proceres, tam rigidum ut semel
Cervice excuterent jugum.
Hinc nos cura Patrum, curaque Consulum
Tutos semper ab exteris
Jam per longa satis tempora praestitit;
Non a seditionibus,
Quas pene assiduas exitialiter
Fervens imperii sitis
Nonnullorum animis insita commovet.
Haec Gracchis animos dedit:
Haec Syllas, Mariosque in patriae luem
Armavit. Sed opus quid est
Prisca exempla referre? Haec quoque Caesarem

Commisit genero: neque
Impôstus prius est horum odiis modus,
Quam Mars sanguine civium
Campos Pharsalicos undique tinxerit.
Tunc, Pompei, caput in tuum
Belli terrificus detonuit fragor.
Nunc Caesar solio insidens
Optatis fruitur, proque libidine
Solus temperat omnia.
Sic jam nomine sub novo,
Regni forma redit vetus.
Atque hoc scilicet efficit
Non usquam stabili fixa manens pede
Sors rerum domina omnium.

Muretus.

XV.

AD STEPHANUM JODELLUM.

Semina sunt quaedam nascentibus insita nobis,
Quîs, duce naturâ, ad varios impellimur artes:
Ille fori rabiem, vesanaque jurgia laudat,
Et pavidos gratâ defendit voce clientes,
Impatiens otî: contra hic sulcare carinis
Regna tridentiferi gaudet patris, et trabe vastâ
Visere longinquo terras sub sole jacentes:
Prodigus hic vitae violentis ducitur armis,
Gaudet et hostili stagnantes sanguine campos
Aspicere, et litui sonitu recreatur acuto:
Ille sui nunquam fines excedere agelli
Ausus, amat tacitis deducere passibus aevum,

Proscindens magnae gremium genetricis, et altis
Pinguia Triptolemi committens munera sulcis.

Nos Musae, Jodelle, tenent, genitorque Lyaeus,
Quem rigidi ambiguo venerantur numine Thraces,
Et Nymphae celeres, et capripedes Satyrisci.
Nos et luce novâ lustrat dum Delius orbem,
Et jubar auricomum tremulis dum fluctibus abdit,
Addictos studiis videt, intentosque labori.
Sed tua te virtus, animi te vividus ardor
Aequales longe ante alios unum abripit: uni
Purpureis dictant Musae tibi talia labris,
Qualia pulchricomus, choreas ducentibus ipsis
Cantat, et ad numerum simul ipse movetur Apollo.

Felix ingenii, viridi cui detur ab aevo
Longaevos aequare senes, et carmine dio
Demulcere animos: jam te ipse tumescit alumno
Sequana, jam virides resonant tua nomina ripae.

Perge, agedum, neu te venienti substrahe famae:
Non te Parca feret totum: non totus obibis,
Parsque tui effugiet ferales optima flammas.

Musa suos vetat extingui: dat vivere Musa
Perpetuo, et famam memorem per saecla propagat:
Coelo Musa beat: famam tibi Musa perennem
Protrahet, et coelo te olim, Jodelle, beabit.

Idem.

XVI.

AD PETRUM RONSARDUM.

Ronsarde, Aonii pectinis arbiter,
Qui princeps resonum sollicitas ebur,
Ventorumque minas et celeres potens
  Lapsus sistere fluminum;

Quando te reducem Vindocino ex agro
Cernemus, veterum turba sodalium?
Quis te, quis niveo vellere conditus
  Nobis restituet dies?

Qui desiderio perpete nunc tui,
Heu quae non facimus vota? quibus sacros
Postes muneribus cingere parcimus?
  Quas non concipimus preces?

O saltem interea, quidquid agis, memor
Nostri vive: ita te curribus aureis
Rumor per liquidum gemmeus aëra,
  Spectandum populis vehat!

Idem.

XVII.

AD DOMINUM ZAMOSCIUM, POLONIAE CANCELL.

Bina mihi artifici caelata nomismata dextrâ
Magnus ab Arctoo misit Zamoscius orbe
Aurea, non vani memorabile pignus amoris,
Saepe meo optatos animo referentia vultus,
Magnanimi primum Regis, quo Martia gaudet,
Quoque caput coelo ductore Polonia tollit.

Aspicis, ut late veneranda coruscat imago,
Cunctaque diffuso circum loca lumine complet?
Non ea vis auro: nec per se lamina lucet,
Nec radiat rutili nativâ luce metalli:
Majus ab impressâ sed ducit imagine fulgur,
Atque ipsum Stephàni sacer aurum vultus inaurat.

Contemplare acresque oculos, frontemque verendam,
Et dignam imperio faciem, dignamque triumphis:
Ut sese omni ex parte animi vis vivida profert,
Degenerem luxum mollesque exosa paratus!
Ut spirat generosum, ipsoque videtur in auro
Regales agitare imo sub pectore curas,
Exitium Turcis meditari et vincula Moscho!

Hic vir, hic[1] est natus virtuti et fortibus aussis:
Cui similes si tota duos Europa tulisset,
Thracius haud ultra nobis illuderet hostis,
Sed profugus toto latebras sibi quaereret orbe.

Altera lamna loco pariter mihi grata secundo,
Subjicit ante oculos auctorem muneris ipsum,
Cujus conveniens meritis imponere nomen
Qui velit, invicti Regis vocitaret Achaten.

Hinc te igitur, tua mî proprius quando ora tueri
Non licuit, cupidumque isthaec invisere regna,
Pontificis tenuit non detrectanda voluntas,
Zamosci magne, adspiciam, et persaepe nitenti
In te defixam solabor imagine mentem.

[1] Nota vocalem correptam, ut apud Virgilium, Aen. vi. 791, et iv. 22; nec de cretico nescio quo cogitandum est.

Zamosci, per quem Marti sociatus Apollo est,
Qui decora heroum accumulans, et Nestora dulci
Eloquio exaequas, et forti pectore Achillem:
Et leges armis firmans et legibus arma,
Victricem laurum pacatae intexis olivae,
Arbiter idem almae pacis, bellique minister
Impavidus, laus egregii propria utraque Civis.

Salvete, O! animae fortes, incoctaque honesto
Pectora, et ignavo non pervia corda timori.
Vos ego, quantum aevi dabitur, super ardua cantu
Astra feram, nunquam reticens vestra inclyta facta;
Facta aliis, quîs nomen idem, sed non eadem est mens,
Aut animos factura, aut incussura pudorem.

Idem.

XVIII.

AD CLAUDIUM.

Quidquid agam, Claudi, seu quo me vertere tentem,
  Seu nihil, ut soleo, desidiosus agam:
Ante oculos tua mî assidue obversatur imago,
  Unaque tristitiam gignit et una levat.
Angor enim infelix, quod te, (quo sospite solum
  Esse velim sospes, quo moriente mori,)
Nunc, ubi sis, quid agas, veterem tibi cura medentum
  An nondum, morbum pectore depulerit:
Nec scio, nec jam scire ullâ ratione potis sum:
  Quae me res crucians, unica pene necat.
At rursus nihil est, quo me ipse hoc tempore soler,
  Quodque oculos tristi tergeat imbre graves,

Te nisi quum vanâ sibi mens sub imagine fingit;
  Seu vigilem, dulci sive sopore premar.
Hoc mihi nepenthes curas dissolvere promptum est;
  Luctibus haec una est apta medela meis.
Tecum ego nunc videor teneros percurrere versus,
  Sive Catulle, tuos, sive Tibulle, tuos:
Nunc etiam rerum causas tentare latentes,
  Discere et unde fluant omnia, quoque fluant;
Nunc herbâ in viridi, latae porrectus ad umbram
  Arboris, et rivum molle strepentis aquae,
Aurasque et dulces avium captare susurros,
  Perque vices tecum multa jocosa loqui.
Gratia Dîs, qui mentem homini celeremque dederunt,
  Et quaevis habilem fingere spectra sibi.
Illa et plumipedem superarit Persea cursu,
  Et celerem invicti Bellerophontis equum.
Nec mihi, se cujus rerum natura creatrix
  Expressam in tabulis cernit, ut in speculo,
Tam bene te docto Titianus pollice pingat,
  Quam mens te assidue pingere prompta mea est.
Atque utinam tibi sit de nobis mutua cura!
  Nec quin sit, dubito: sed tamen esse precor.
Non ego vulgari te, Claudi, amplector amore,
  (Hac face rara Deus tangere corda solet:)
Me, me ipse odissem, nisi tu me gratus amares:
  Nec nisi me, quoniam sum tibi carus, amo.
Denique quum fuero nulli credenda loquutus,
  Pars tamen illa mei parvula amoris erit.
Dî faciant, longos producere detur in annos
  A pueris coeptae foedus amicitiae! *Idem.*

XIX.

L. MEMMIO FREMIOTO.

Quae mihi jam, quae te tellus, Memmi optime, servat,
  Qui mihi vitali es lumine amabilior?
Nos sine te Venetûm pulchrâ versamur in urbe,
  Quam tumidus rapidis Adria cingit aquis:
Et modo miramur celeres decurrere lintres,
  Mercibus aut gravidas segnius ire rates:
Et modo constructas immensis sumptibus aedes,
  Quas totidem regum dixeris esse domos:
Templa etiam radiata auro, radiata lapillis,
  Huc trabe quos multâ prodiga mittit Eos[1].
Nec nulla est ritus varios spectare voluptas,
  Atque hominum cultus usque videre novos:
Cernere nunc taeniis vinctos capita ardua Turcas,
  Miscentes Italis Persica verba sonis:
Nunc quos palmarum fecunda huc misit Idume,
  Fraudibus et turpi dedita corda lucro:
Nunc ustâ Mauros facie, intortoque capillo,
  Quique bibunt Gangen, quique bibunt Tanain.
Denique spectari rerum audirive novarum
  Quidquid in orbe potest, hâc quoque in urbe potest.
Quid tibi jam augustâ illustrem gravitate senatum,
  Purpureosque canam, pectora sancta, patres?
Salvete, O lecti proceres, sanctissima turba,
  Fas mihi sit numeris vos celebrare meis.
Vos Pater ipse deum, qui temperat omnia nutu,
  Consortes voluit muneris esse sui.

[1] Primam corripit, Attico more.

Vestrum est, impositis populi frenare furorem
  Legibus, ut ne exlex in scelus omne ruat.
Vos premitis poenâ surgentem vindice culpam,
  Nec sinitis mores luxuriare malos.
Per vos tuta Ceres domini flavescit in agro:
  Pascuntur tuti tuta per arva boves.
Muneris est vestri, mediâ quod nocte viator
  Nil metuit longum carpere solus iter.
Vos datis, ut simili laudentur prole maritae,
  Utque sit in nati plurimus ore pater.
Publica res vestris humeris innixa recumbit,
  Sospitibus vobis, nec timet ipsa sibi.
Jure igitur toto Venetûm praesignis in orbe
  Gloria et Eoos transit et Hesperios.
Floreat, ut merita est, volucres dum silva ferasque,
  Dumque aequor phocas pascet, et astra polus.
Haec ego dum blando meditor tibi carmine, Memmi,
  Ut te suaviloquis versibus exhilarem;
Me miserum! veteris forsan tu oblitus amici,
  Noscere jam, qui sim, negligis aut ubi sim:
Omnis et in ventos nostri tibi cura recessit,
  Fumus ut, aut nubes acta aquilone solet.
Hoc si ita sit, credam lapsuraque sidera coelo,
  Inque suum retro flumina itura caput.
Sed neque praecipiti labentur sidera coelo,
  Nec sunt in proprium flumina itura caput,
Nec te deficiet Mureti nomen amare.
  O prius immiti pollice Parca ferox
Imperfecta meae discerpat stamina vitae,
  Stamina fatali tam male ducta colo!

Ecquod erit tempus, juvenum doctissime, quo te
  Post varios casus incolumem aspiciam?
Quo tibi praesenti denarrem haec omnia praesens,
  Laërtae ut diti filius Alcinoo?
Tum mea solventur diuturnis pectora curis,
  Et mens triste suum fessa reponet onus.
Post imbrem coeli facies mutata serescit,
  Post hiemem verni temporis hora venit.
Me quoque post multos olim fortuna labores
  Forsitan haud torvo lumine respiciet.

Muretus.

XX.

IN EFFIGIEM CROMWELLI TABULA PICTAM CHRISTINAE SUECORUM REGINAE DONO MISSAM.

Bellipotens virgo, septem Regina trionum,
  Christina, Arctoi lucida stella poli!
Cernis, quas merui durâ sub casside rugas,
  Utque senex, armis impiger, ora tero:
Invia fatorum dum per vestigia nitor,
  Exequor et populi fortia jussa manu.
Ast tibi submittit frontem reverentior umbra;
  Nec sunt hi vultus regibus usque truces.

Miltonus.

XXI.

AD OLIVERUM REIP. ANG. SCOT. ET HIBERN. DOMINUM PROTECTOREM.

Pax regit Augusti, quem vicit Julius, orbem :
  Ille sago factus clarior, ille togâ.
Hos sua Roma vocat magnos, et numina credit :
  Hic quod sit mundi victor, et ille quies.
Tu bellum et pacem populis das, unus utrisque
  Major es : ipse orbem vincis, et ipse regis.
Non hominem e coelo missum te credimus ; unus
  Sic poteras binos qui superare deos!

J. Locke ex Aede Xti, 1654.

XXII.

IN MILTONUM.

Caecus, inops, patriaeque superstes tempore iniquo,
  Miltonus, magnum sedulus urget opus.
Degenerem aetatem placide contemnit et altum
  Supra fortunae munera radit iter.
Nox oculos licet aeternâ caligine obumbret,
  Paupertasque gravi vexet acerba manu,
Non minus arrectum studio, ardentemque furore
  Per sacra Musarum devia raptat amor.
Mens ea quae Mundi fines processerat extra,
  Non erat humanis debilitanda malis.

Wellesley, Anno Aetatis 20.

XXIII.

IN PARADISUM AMISSUM.

Qui legis Amissum Paradisum, grandia magni
  Carmina Miltoni, quid nisi cuncta legis?
Res cunctas, et cunctarum primoria rerum,
  Et fata et fines continet iste liber.
Intima panduntur magni penetralia mundi,
  Scribitur et toto quicquid in orbe latet:
Terraeque tractusque maris, coelumque profundum,
  Sulphureumque Erebi flammivomumque specus:
Quaeque colunt terras, pontumque et Tartara caeca;
  Quaeque colunt summi lucida templa poli:
Et quodcunque ullis conclusum est finibus usquam,
  Et sine fine Chaos, et sine fine Deus;
Et sine fine magis, si quid magis est sine fine,
  In Christo erga homines conciliatus amor.
Haec qui speraret quis crederet esse futurum?
  Et tamen haec hodie terra Britanna legit.
O, quantos in bella duces! quae protulit arma!
  Quae canit, et quantâ praelia dira tubâ!
Coelestes acies! atque in certamine coelum!
  Et quae coelestes pugna deceret agros!
Quantus in aetheriis tollit se Lucifer armis!
  Atque ipso graditur vix Michaële minor!
Quantis et quam funestis concurritur iris,
  Dum ferus hic stellas protegit, ille rapit!
Dum avulsos montes ceu tela reciproca torquent,
  Et non mortali desuper igne pluunt:

Stat dubius cui se parti concedat Olympus,
  Et metuit pugnae non superesse suae.
At simul in coelis Messiae insignia fulgent,
  Et currus animes, armaque digna Deo,
Horrendumque rotae strident, et saeva rotarum
  Erumpunt torvis fulgura luminibus,
Et flammae vibrant, et vera tonitrua rauco
  Admistis flammis insonuere polo;
Excidit attonitis mens omnis, et impetus omnis,
  Et cassis dextris irrita tela cadunt.
Ad poenas fugiunt; et, ceu foret Orcus asylum,
  Infernis certant condere se tenebris.
Cedite, Romani scriptores, cedite Graii;
  Et quos fama recens vel celebravit anus.
Haec quicunque leget tantum cecinisse putabit
  Maeonidem ranas, Virgilium culices.

Barrow.

XXIV.

WHEN THE ASSAULT WAS INTENDED TO THE CITY.

Captain, or Colonel, or Knight in arms.
Whose chance on these defenceless doors may seize,
If deed of honour did thee ever please,
Guard them, and him within protect from harms.
He can requite thee, for he knows the charms
That call fame on such gentle acts as these,
And he can spread thy name o'er lands and seas,
Whatever clime the sun's bright circle warms.
Lift not thy spear against the Muses' bower!
The great Emathian conqueror bad spare
The house of Pindarus when temple and tower
Went to the ground, and the repeated air
Of sad Electra's poet had the power
To save the Athenian walls from ruin bare.

Milton.

LATINE REDDITUM. POETA AD URBIS OPPUGNATORES.

Dux! miles! quicunque feri in certamine Martis
  Has indefensas veneris ante fores,
Parce, precor! vatemque infestis protege ab armis,
  Si quis Musarum, si pietatis honos.
Ille potens magicae, quâ fama accenditur, artis,
  Serta dabit capiti non peritura tuo;
Ille tibi extremis nomen clarabit in oris,
  Sole quot occiduo, quotve oriente calent.
Pieridum haec sedes; Belli furor impius absit!
  Thebarum Emathius victor in excidio,
Diruta tecta inter, turresque, et templa deorum,
  Pindaricam intactam stare domum voluit:
Carminibusque sacris sacras servavit Athenas
  Flebilis Electrae tibia docta modos.

Grenville.

XXV.

UXELLA.

In tumulum veteris Uxellae ruinas despicientem.

Quis fuit, antiquâ Corini de gente, sepulchrum
  Cui patria hic, tumido in cespite, grata dedit?
Quo fato occubuit? Romae victricibus armis,
  An debellati Saxonis ense cadens?
Uxellae periere arces, disjectaque circum
  Strata jacent foedo regia tecta situ:
At durat lapis aggestus bis mille per annos,
  Et vano ignotum signat honore ducem.

Grenville.

IDEM ANGLICE.

Inscription for a stone to be placed on a barrow near Lestwithiel.

Of Cornwall's ancient race what chieftain brave
Found in this swelling turf an honour'd grave?
What fate subdued thee? Rome's all conquering band,
Or some defeated Saxon's vengeful hand?
Lo! time hath whelm'd Lestwithiel's regal halls,
And scarce Restormel shows her ivied walls:
Yet still thro' many an age these gather'd stones
With vain memorial grace thy long forgotten bones.

Idem.

XXVI.

EPITHALAMIUM.

He is but half part of a blessed Man,
Left to be finished by such a She;
And She a fair divided Excellence,
Whose fulness of perfection lies in Him.
Shakespeare.

Omnia complet Hymen, omnia vincit Amor.

Dimidius tantum coelebs meliore videtur
Et plus quam justâ parte carere sui:
Nec tu dimidiata minus, pulcherrima virgo,
Efficiente animam deficiente viro.

Huc ades, O Hymenaee, Hymen ades, O Hymenaee;
Fervidus et tecum mutuus adsit Amor!
Huc ades O Hymenaee, Hymen ades, O Hymenaee;
Ac tecum veniat castus et arctus Amor!
Huc ades, O Hymenaee, Hymen ades, O Hymenaee;
Alite cum faustâ, sic, precor, alme, veni!
Ulmus ut est columen viti, vitis decus ulmo;
Sic tu praesidium, tu decus omne tuis.

Tu modo semper ama, jam sponsa beata, maritum;
Dulce sit ille decus praesidiumque tuum!
Foedere sic certo casti junguntur amores,
Nuptaque fit caro carior usque viro:
Sic unum ex binis finget deus ille Hymenaeus,
Atque opus implebunt vir mulierque suum;

Gaudia dum complens ridensque parentibus aulâ
  Ludat in antiquâ parvulus ante focum.
Sic rursum ex binis plures finget deus idem,
  Qui unum conficiens omnia complet Hymen:
Haec Amor ipse suo conservat foedera signo;
  Hanc Venus, ut vivat, ventilat ipsa facem.

CHORUS.

Omnia vincit Amor; et nos cedamus Amori:
  Cedamus omnes; omnia namque potest;
Nec tam felices ulli junguntur amores,
  Quam quos felici foedere jungit Hymen.
Omnia vincit Amor; et nos cedamus Amori:
  Omnia complet Hymen, omnia vincit Amor.

R. B. K.

XXVII.

IN PUELLAM INFELICEM.

When lovely woman stoops to folly,
  And finds too late that men betray,
What charm can sooth her melancholy?
  What art can wash her guilt away?

The only art her guilt to cover,
  To hide her shame from every eye,
To give repentance to her lover,
  And wring his bosom—is to die.

Goldsmith.

LATINE REDDITUM.

Ah, formosa levi nimium si cedat Amori
  Femina, et inveniat prodere posse viros;
Carmine quo posset saevum lenire dolorem?
  Quove piare scelus sola relicta modo?

Omnibus illaesum si vult servare pudorem,
  Perjuri pectus tangere posse viri,
Atque animum vero demum torquere dolore,
  Certa salus miserae panditur una—mori.

R. B. K.

XXVIII.

GALLIA FURENS.

(Verses written at Walmer Castle, by desire of Mr. Pitt, in the month of September, 1797. A copy of these verses was left with Mr. Pitt, when Lord Wellesley embarked for India on the 7th November, 1797. They were published in the Anti-Jacobin, No. VI, December 18th, 1797.)

Ipsa mali Hortatrix scelerumque uberrima Mater
In se prima suos vertit lymphata furores,
Luctaturque diu secum, et conatibus aegris
Fessa cadit, proprioque jacet labefacta veneno.
Mox tamen ipsius rursum violentia morbi
Erigit ardentem furiis, ultroque minantem
Spargere bella procul, vastaeque incendia cladis,
Civilesque agitare faces, totumque per orbem
Sceptra super Regum, et Populorum subdita colla
Ferre pedem, et sanctas Regnorum evertere sedes.

Aspicis! Ipsa sui bacchatur sanguine Regis,
Barbaraque ostentans feralis signa triumphi,
Mole giganteâ campis prorumpit apertis,
Successu scelerum, atque insanis viribus audax.

At qua Pestis atrox rapido se turbine vertit,
Cernis ibi, priscâ morum compage solutâ,
Procubuisse solo civilis foedera vitae,
Et quodcunque Fides, quodcunque habet alma verendi
Religio, Pietasque et Legum fraena sacrarum.

Nec spes Pacis adhuc—necdum exsaturata rapinis
Effera Bellatrix, fusove expleta cruore.
Crescit inextinctus Furor, atque exaestuat ingens
Ambitio, immanisque irâ vindicta renatâ
Relliquias Soliorum et adhuc restantia Regna
Flagitat excidio, praedaeque incumbit opimae.

Una etenim in mediis Gens intemerata ruinis,
Libertate probâ, et justo libramine rerum,
Securum faustis degit sub legibus aevum;
Antiquosque colit mores, et jura Parentum
Ordine firma suo, sanoque intacta vigore,
Servat adhuc, hominumque fidem, curamque Deorum.
Eheu! quanta odiis avidoque alimenta furori!
Quanta profanatas inter spoliabitur aras
Victima! si quando versis Victoria fatis
Annuerit scelus extremum, terrâque subactâ
Impius Oceani sceptrum foedaverit Hostis!

Wellesley.

. . . .

Dî meliora piis atque exitium hostibus illud!
Dum loquimur, plausu praepes trans aequora vecta
Nuntia Fama volat Duncani facta reportans.
Quid, si qui Ausoniâ descendit victor ab orâ,
Nil se profecisse putet, dum invicta resistat
Insula nostra mari? Quid, si ambitione nefandâ
Flagret adhuc juvenis? Quemnam nunc provocat hostem?
Hactenus invictus tandem succumbere discat
Victori! Nobis etenim Ponti deus adstat,
Pro carisque suis propugnat, ut ante, Britannis.

R. B. K.

ANGLICE REDDITUM.

(The following translation of the preceding Poem appeared in the Anti-Jacobin, No. VII, December 25th, 1797. It was composed by the then Lord Morpeth, afterwards Earl of Carlisle, and is written with the hereditary talent of that illustrious Family.

Wellesley.)

Parent of countless crimes, in headlong rage,
War with herself see frantic Gallia wage,
Till worn and wasted by intestine strife,
She falls—her languid pulse scarce quick with life.
But soon she feels through every trembling vein,
New strength collected from convulsive pain:
Onward she moves, and sounds the dire alarm,
And bids insulted nations haste to arm;
Spreads wide the waste of War, and hurls the brand
Of Civil Discord o'er each troubled land,

While Desolation marks her furious course,
And thrones, subverted, bow beneath her force.

Behold! she pours her Monarch's guiltless blood,
And quaffs, with savage joy, the crimson flood;
Then, proud the deadly trophies to display
Of her foul crime, resistless bursts away,
Unaw'd by justice, unappall'd by fear,
And runs with giant strength her mad career.

Where'er her banners float in barbarous pride,
Where'er her conquest rolls its sanguine tide,
There, the fair fabric of establish'd law,
There social order, and religious awe,
Sink in the general wreck; indignant there
Honour and Virtue fly the tainted air;
Fly the mild duties of domestic life
That cheer the parent, that endear the wife,
The lingering pangs of kindred grief assuage,
Or sooth the sorrows of declining age.

Nor yet can Hope presage the auspicious hour,
When Peace shall check the rage of lawless Power;
Nor yet the insatiate thirst of blood is o'er,
Nor yet has Rapine ravaged every shore.
Exhaustless Passion feeds the augmented flame,
And wild Ambition mocks the voice of Shame:
Revenge, with haggard look and scowling eyes,
Surveys with horrid joy the expected prize;
Prowls round each remnant of monarchic sway,
And dooms to certain death his fancied prey.

For midst the ruins of each falling state,
One Favour'd Nation braves the general fate,
One favour'd Nation, whose impartial laws
Of sober Freedom vindicate the cause;
Her simple manners, midst surrounding crimes,
Proclaim the genuine worth of ancient times:
True to herself, unconquerably bold,
The Rights her valour gain'd she dares uphold;
Still with pure faith her promise dares fulfil,
Still bows submission to the Almighty Will.

Just Heav'n! how Envy kindles at the sight!
How mad Ambition plans the desperate fight!
With what new fury Vengeance hastes to pour
Her tribes of rapine from yon crowded shore!
Just Heav'n! how fair a victim at the shrine
Of injured Freedom shall her life resign,
If e'er, propitious to the vows of hate,
Unsteady Conquest stamp our mournful fate;
If e'er proud France usurp our ancient reign,
And ride triumphant o'er the insulted main!

. . . .

Far hence the unmanly thought—The voice of Fame,
Wafts o'er the applauding deep her Duncan's name.
What though the Conqueror of the Italian plains
Deem nothing gain'd, while this fair Isle remains,
Though his young breast with rash presumption glow,
He braves the vengeance of no vulgar foe:
Conqueror no more, full soon his laurel'd pride
Shall perish—whelm'd in Ocean's angry tide;

His broken bands shall rue the fatal day,
And scatter'd navies own Britannia's sway!

Morpeth.

XXIX.

TENNYSON'S EXHIBITION ODE, 1862.

Uplift a thousand voices full and sweet,
In this wide hall with earth's inventions stored,
And praise th' invisible universal Lord,
Who lets once more in peace the nations meet,
Where Science, Art, and Labour have outpour'd
Their myriad horns of plenty at our feet.

O silent Father of our Kings to be
Mourn'd in the golden hour of jubilee,
For this, for all, we weep our thanks to Thee!

The world compelling plan was thine,
And, lo! the long laborious miles
Of Palace, lo! the giant aisles,
Rich in model and design;
Harvest-tool and husbandry,
Loom and wheel and engin'ry
Secrets of the sullen mine,
Steel and gold, and corn and wine,
Fabric rough, or Fairy fine,
Sunny tokens of the Line,
Polar marvels, and a feast
Of wonder, out of West and East,
And shapes and hues of art Divine!

All of beauty, all of use,
That one fair planet can produce,
Brought from under every star,
Blown from over every main,
And mix'd, as life is mixt with pain,
The works of peace with works of war.
And is the goal so far away?
Far, how far, no man can say:
Let us have our dream to-day.

O ye, the wise who think, the wise who reign,
From growing commerce loose her latest chain,
And let the fair white-wing'd peacemaker fly
To happy heavens under all the sky,
And mix the seasons and the golden hours,
Till each man finds his own in all men's good,
And all men work in noble brotherhood,
Breaking their mailed fleets and armed towers,
And ruling by obeying nature's powers,
And gathering all the fruits of peace, and crown'd
with all her flowers.

LATINE REDDITUM.

Tollite dulcisonos, pleno ore accendite cantus,
Hic ubi vasta Domus, quodcunque habet optima tellus,
Continet; occultumque Deum laudate supremum!
Ille etenim unanimas hodie conjungier omnes
Dat gentes, et pace frui; dum munera circum
Mille Labor fundit, ditatque Ars alma colentes!

Anglorum Regum ventura in saecla, Beatos
Inter, ave Pater! en te hodie lugemus ovantes;
Te grati Auctorem,—lacrymis Tua Festa notamus!

Tuum olim erat quod Orbis hic complectitur!
Te nam jubente haec quae nitent Palatia
Laboriosis exstitere fabricis,
Alaeque scenas inter en! amplissimas
Hic inde formis edocent rarissimis
Quodcunque textor, aut arator postulet,
Quodcunque terrae dura fundant viscera,
Chalybemque et aurum, quosque fert fructus solum:
Si quid magis subtile, quid robustius,
Usquam sub axe sol utroque conditum,
Quae mira surgens, quaeque videat occidens;—
Si quid decorae forma pulchritudinis,
Divina si quid ars colore temperet;
Haec cuncta nobis usui pulcherrima
Unius Orbis huc coacta munera
Testantur ipsa sidera, ipsa marmora:—
Bellique (nam fert vita luctum gaudiis),
Tormenta posita pacis inter machinas!

Metam videre an non datur?
Ah! quam procul quis quit loqui?
At somniemus hâc die!

Vos qui consilio proceres regnate, Labori
Luctanti tandem jam postuma solvite vincla:
Mercatura comes Pacis pennata per orbem
Alba viam rapiat Phoebo sub utroque beatam;

Felices ineat portus, passimque benignas
Misceat aestates Horis Concordia amicis:
'Omne quod humanum est' dum tandem regula cuique,
Dum tandem fraternus amor, novus impetus, ultro
Armatas jubeat classes submergier undis,
Ferratasque rui turres:—Natura magistra
Sic doceat gentes cum regibus aequa parare,—
Sic fruges Pax alma beet, sertisque coronet!

W.

XXX.

ECHO.

Sweet Echo! sweetest nymph, that liv'st unseen
Within thy airy shell,
By slow Meander's margent green,
And in the violet-embroider'd vale,
Where the love-lorn nightingale
Nightly to thee her sad song mourneth well;
Canst thou not tell me of a gentle pair,
That likest thy Narcissus are?
O! if thou have
Hid them in some flowery cave,
Tell me but where,
Sweet queen of parley, daughter of the sphere;
So may'st thou be translated to the skies,
And give resounding grace to all Heaven's harmonies!

Miltonus.

LATINE REDDITUM.

Quae concham aeriam nulli visa incolis, Echo
Dulcis, nympharum dulcissima, lene fluentis

Maeandri ad ripam viridem, violisque nitenti
In convalle, refert ubi suaviter orba mariti
Per noctes Philomela suum tibi flebile carmen;
Nonne potes fratrum tu par juvenile, tuique
Narcissi formam referens, mihi prodere? Quos si
Forte sub umbroso praetextis floribus antro
Abdideris procul, O ubinam sit, dic mihi; fandi
Dulce loquens Regina, canori Filia Coeli!

Sic tu Diva abeas super aethera; coelicolûmque
Sic decus altisonans concentibus omnibus addas!

Latham.

XXXI.

CELATA VIRTUS.

Full many a gem of purest ray serene
  The dark unfathom'd caves of ocean bear;
Full many a flower is born to blush unseen,
  And waste its sweetness on the desert air.

Gray.

LATINE REDDITUM.

Plurima praestanti radians fulgore, sub antris
  Aequoris immensi gemma sepulta latet;
Plurimus ignotâ secretus nascitur orâ,
  Et rubet ad vacuam flos, redoletque, diem.

Latham.

XXXII.

IN HARMONIAM COELESTEM.

How sweet the moonlight sleeps upon this bank!
Here will we sit, and let the sounds of music
Creep in our ears; soft stillness and the night
Become the touches of sweet harmony.
Sit Jessica;—look, how the floor of heaven
Is thick inlaid with patines of bright gold;
There's not the smallest orb that thou behold'st
But in his motion like an Angel sings,
Still quiring to the young-eyed Cherubims.
Such harmony is in immortal souls;
But, while this muddy vesture of decay
Doth grossly close it in, we cannot hear it.

Shakespeare.

LATINE REDDITUM.

Ut placide super hanc ripam dormire videtur
Luna! sedebimus hic, et in aures dulce sinemus
Hoc melos interea subrepere; nam modulatae
Suaviter harmoniae nox, tempus molle quietis,
Convenit—hic sedeas, mea Jessica, et atria coeli,
Tessellata velut patinis lucentibus auri,
Contemplere. Horum minimus, quos conspicis orbes,
Quisque suo cursu latum it per inane canendo;
Angelus ut canit usque; choro alternante Cherubûm
Suffusorum oculos aeternae luce juventae.

Talem innatam animis etiam immortalibus esse
Credimus harmoniam; sed circumfusa coercet
Corporis haec nostri tabentis squalida vestis,
Nec sinit e coelo vocem exaudire sonantem
'Immortale melos, et inenarrabile carmen.'

Latham.

XXXIII.

IN EANDEM.

Nos etiam patrium tunc quum repetemus Olympum,
Aeternaeque morae stabunt immobilis aevi;
Ibimus auratis per coeli templa coronis,
Dulcia suaviloquo sociantes carmina plectro,
Astra quibus, geminique poli convexa sonabunt.
Spiritus et rapidos qui circinat igneus orbes,
Nunc quoque sidereis intercinit ipse choreis
Immortale melos, et inenarrabile carmen;
Torrida dum rutilus compescit sibila serpens,
Demissoque ferox gladio mansuescit Orion;
Stellarum nec sentit onus Maurusius Atlas.

Miltonus.

XXXIV.

VITAE DISCESSUS.

Life, we've been long together,
Through pleasant and through cloudy weather;
'Tis hard to part, when friends are dear,
Perhaps 'twill cost both pang and tear.

So steal away with little warning;
Choose thine own time,
Say not 'good night,' but in yon happier clime
Bid me 'good morning.'

Barbauld.

LATINE REDDITUM.

Vita, diu fuimus comites; et amoena vicissim
Nostra erat, aut moestis nubibus atra, dies.
Tristis amicorum est digressus, nec sine luctu
Scinditur et lachrymis dulce sodalitium.
Tu te ergo tacite subducas; admonitumque
Sit breve, quo libeat tempore abire tibi:
Neu mihi dic 'valeas,' sed in orbe beatior illo
Alloquere, atque novo mane valere jube.

Latham.

XXXV.

EPITAPH IN THE ISLE OF WIGHT.

Forgive, blest shade! the tributary tear
That mourns thy exit from a world like this!
Forgive the wish that would have kept thee here,
And stay'd thy progress to the world of bliss!

No more confined to grovelling scenes of night,
No more a tenant pent in mortal clay;
Now should we rather hail thy glorious flight,
And trace thy passage to the realms of day.

Anon.

LATINE REDDITUM. EPITAPHIUM.

Da veniam lacrymae, quae te, tellure relictâ,
  Invidet aetheriis, umbra beata, choris!
Da veniam precibus, quae te hic voluere morari,
  Serius ad superas ut raperere domos!

Hujus, humo spretâ, nunc es caliginis expers,
  Hujus et haud ultra carcere septa luti:
Nosque tuam potius fas est gaudere sequentes
  Victricem, carpis quam super astra, fugam[1].

Booth.

XXXVI.

CONJUX CONJUGEM PRAEGRESSAM ALLOQUITUR.

Ivisti prior ad tumulum, carissima conjux,
  Mutua commendans pignora cara mihi:
Fungar ego hinc vicibus maternis; illa tuorum
  Omnis erit collo turba ferenda meo.

Ivisti prior ad tumulum, carissima conjux,
  Plus quam dimidium, pars meliorque mei:
Ivisti ad tumulum, sed mors tibi janua vitae:
  Vita tibi Christus, mors tibi grande lucrum.

Ivisti ad tumulum, sed te lugere vetamur:
  Mortem si tenebrae tristitiaeque tegant;
Claustra prior tumuli Victor perrupit Jesus:
  Divinus coeli limina pandit Amor.

[1] Ex Anthologiâ Oxoniensi.

Obvius en! primo occurrens tibi limine Sponsus,
  Dulcibus alloquiis excipit Ipse suam:
"Sponsa, veni, et patrii cape jam nova gaudia regni,
  Quîs tibi perpetuis nunc datur usque frui.

Voce meas laudes coetus resonare docebas,
  Sacrum ubi volvebant organa pulsa melos:
I nunc altisono felix super aethera cantu;
  I nunc sidereis consocianda choris."

R. B. K.

XXXVII.

CONJUX CONJUGEM PRAEGRESSA ALLOQUITUR.

Scis bene quam multos tecum conjuncta per annos,
  Et quali fuerim, care marite, fide.
Nunc mundi illecebras supra curasque fugaces
  Evehor, aetheriis consociata choris.
Nec mihi, coelum hoc et coelestia gaudia testor,
  Vitae dura fuit meta suprema meae.
Te solum indolui, te inter mala tanta relinquens,
  Heu! mala nunc animo tota ferenda tuo!
Sed tibi pandet iter divinitus insita virtus,
  Has caecas vitae discutiens tenebras.
Me quoque, ne doleas! comitem me semper habebis,
  Et mihi fida tuae cura salutis erit,
Donec viva iterum, morienti, et pulchra videbor,
  Dux tibi in aeternas ire parata domos.

Grenville.

XXXVIII.

IN OBITUM PRAESULIS WINTONIENSIS, A.D. 1626.

Moestus eram, et tacitus, nullo comitante, sedebam;
  Haerebantque animo tristia plura meo:
Protinus en! subiit funestae cladis imago,
  Fecit in Angliaco quam Libitina solo;
Dum procerum ingressa est splendentes marmore turres
  Dira sepulchrali Mors metuenda face;
Pulsavitque auro gravidos et jaspide muros,
  Nec metuit satrapum sternere falce greges.

. . . .

At te praecipue luxi, dignissime Praesul,
  Wintoniaeque olim gloria magna tuae.
Delicui fletu, et tristi sic ore querebar:—
  "Mors fera, Tartareo diva secunda Jovi,
Nonne satis quod sylva tuas persentiat iras,
  Et quod in herbosos jus tibi detur agros?
Quodque afflata tuo marcescant lilia tabo,
  Et crocus, et pulchrae Cypridi sacra rosa?
Nec sinis, ut semper fluvio contermina quercus
  Miretur lapsus praetereuntis aquae?
Et tibi succumbit, liquido quae plurima coelo
  Evehitur pennis, quamlibet augur, avis;
Et quae mille nigris errant animalia sylvis;
  Et quot alunt mutum Proteos antra pecus.
Invida, tanta tibi quum sit concessa potestas,
  Quid juvat humanâ tinguere caede manus;
Nobileque in pectus certas acuisse sagittas,
  Semideamque animam sede fugasse suâ?"

Talia dum lacrymans alto sub pectore volvo,
  Roscidus occiduis Hesperus exit aquis,
Et Tartessiaco submerserat aequore currum
  Phoebus, ab Eoo littore mensus iter:
Nec mora, membra cavo posui refovenda cubili,
  Condiderant oculos noxque soporque meos:
Quum mihi visus eram lato spatiarier agro;
  Heu! nequit ingenium visa referre meum.
Illic puniceâ radiabant omnia luce,
  Ut matutino quum juga sole rubent.
Ac, veluti quum pandit opes Thaumantia proles,
  Vestitu nituit multicolore solum.
Non dea tam variis ornavit floribus hortos
  Alcinoi, Zephyro Chloris amata levi.
Flumina vernantes lambunt argentea campos,
  Ditior Hesperio flavet arena Tago.
Serpit odoriferas per opes levis aura Favoni,
  Aura sub innumeris humida nata rosis.
Talis in extremis terrae Gangetidis oris
  Luciferi regis fingitur esse domus.
Ipse racemiferis dum densas vitibus umbras,
  Et pellucentes miror ubique locos,
Ecce! mihi subito Praesul Wintonius adstat;
  Sidereum nitido fulsit in ore jubar;
Vestis ad auratos defluxit candida talos;
  Infula divinum cinxerat alba caput:
Dumque senex tali incedit venerandus amictu,
  Intremuit laeto florea terra sono.
Agmina gemmatis plaudunt coelestia pennis,
  Pura triumphali personat aethra tubâ.

Quisque novum amplexu comitem cantuque salutat,
  Hosque aliquis placido misit ab ore sonos:—
"Nate, veni, et patrii felix cape gaudia regni;
  Nunc tibi parta quies, hinc tibi cura procul."
Dixit, et aligerae tetigerunt naulia turmae;
  At mihi cum tenebris aurea pulsa quies.
Flebam turbatos Tithoni conjuge somnos:
  Talia contingant somnia saepe mihi!

Miltonus.

FINIS.

OXONII:
EXCUDEBANT
E. PICKARD HALL, A.M., ET J. H. STACY,
ACADEMIÆ TYPOGRAPHI.